APPENDIX EXERCITATIONIS VIGESIMAE SECVNDAE.

QVA OBIECTIONIBVS IN EAM EDITIS SATISFACIT, ET VRGENTIVS Veritatem Doctor Luna Marcenensis, Hispalensisq; Medicus comprobat.

Anno. IHS 1607.

Ad Vandalorum floridissimi ingenii, acutissimiq; Medicum, Philosophum excellentiorem, sanctæ Inquisitionis Tribunalis Decurionem, Coæuum, Conterraneumq; condiscipulorumq; omnium præstantiorem, summumq; amicum Licentiatum ANDREAM FLORINDVM Medicum Astigitanum.

HISPALI
CVM LICENTIA.

VANDALORVM FLORIDISsimi ingenii, acutissimiq; Medico, Philosopho excellentiori. Sanctæ Inquisitionis Tribunalis Decurioni, Coæuo, Conterraneoq;, cōdiscipulorumq; omnium præstātiori, summoq; suo amico Licentiato Andreæ Florindo, Astigi artem Appollineam facienti, suus Doctor Luna salutem.

QVVM POST EXERcitationem vigesimam secundam editam, multi amici postulauerant, vt vigilias meas Medicas, qualescumq; corrigerem, quô sic (si dignæ á Dominis Archiatris judicatæ) liberè vbiq; legerentur, & per cunctorum manus versarentur. Vixq; re deliberata, ecce obstitit sociorum Medicorum facies altera, é nubeq; objectionum obducta, alias multas tēporis breui decursu oriundas conjiciens,

quid facerem, quò me verterē, consilii inops nesciebam. Citò, & semel (si possem) omnibus respōdere exoptabam, cumq; jam minus deceret impugnatam, commaculatamq; Exercitationem, ante debitam illi expurgationem, simul cum aliis, typis mandare. Ex aduerso huic prouinciæ tempus idoneum concedendum exigebatur. Veritatis ex alia parte tutella clamabat, ne maximo dispendio salutis mortalium, atq; in plurimi momenti re, prouectæ ætatis aliqui pigri Medici, scholaresq; nonnulli à personatis quibusdam Doctoribus deciperentur, eo tempore accepi (jucundissime Andrea, quo soleo affectu litteras tuas) familiarissimam, satisq; Medicam, atq; ex vera necessitudine subortam epistolam. Neq; id dictum velim (quamuis deinceps id mihi non qualemcumq; stemma futurum sit) quoniam me honorificentissimis titulis affeceris, eos namq;, & alios multos, multo ampliores, ceu ex tuo ingenuo fonte permanantes, in te etiam permanentes candidus Lector animaduerteret. Sed quod in auxilio illo humanæ saluti magis necessario (vt humanissimus, piusq; es) acre, amicumq; judicium tuum amico amice impertiaris. Etenim si quemq; hoc facere, gratum est (& vt [A] Comicus ait, *Abs quouis homine beneficium accipere gaudeas, verùm enim vero id demum juuat, si quem æquum est benefacere, is faciat.* Cur non gratum sit, immo doceat, oporteatq; ipsum facere, qui vt alter ego, & mei dimidium semper habetur? Cujus à pueritia bona, animusq; communis fuit, idē velle, idemq; nolle fuere, eruntq;. Neq; mirandum legentium cuiquā est, si (vt etiam [b] Poeta ad summum suum amicum cecinit) modò simus.

A *Terent. in Eunucho.*

b *Horat. lib. epist. ad Fuscum.*

Hac

Hac in re scilicet vna;
Multum dissimiles, ad cætera penè gemelli,
Fraternis animis quidquid negat alter, & alter
Annuimus pariter Vetuli, notiq; columbi.

Nam & quilibet homo, si studiis insudet, si proficiat, in horas propriam sententiam mutat. Inter nos autem, vna tantùm indiuiduorum differentia (etiam á gemellis inseparabilis) cõtemplanda est, quæ si è medio tollatur (nisi melius dicendam, nimis symbolam, ipsissimamq; fuisse) proculdubio Florindum Lunam, Lunamque Florindum esse, qui nos norunt, judicant. Vtinam (amicissime Andrea) quos jam diu exopto, tuum aspectum, amplexusq; mererer, atque per mutua colloquia, isthæc grauis difficultas, intentis animis, versus quã que partem discuteretur, tunc ego solita reuerentia, tibique debito obsequio, tu vero, tui ingenii peregrini fácundia insita, acquisitaq; dexteritate, quibus profecto lucidissimo, faustissimoque cœlo natos semper superasti, inuidiaq; effecisti, quid posset vterque vicissim (vt olim) experiremur. Interim tamen, vt possum, si non vt volo, datur, aliis primò objectionibus haud satisfactum conquerantur, ne etiam ego (cui breue est tempus, aliisq; studiis, curisque dandum) eadem sæpius repetere cogar. Eadem enim fere doctrina eidem tertiæ assertioni meæ obsistunt concertãtes egregii. Denique ô nostrę Marcenę, seu Coloniæ Martiæ honos, splendor, monumentumque illustre, honestorum, piisimorumque parentum (quibus viuis alter AEneas fuisti, mortuorum virtutis hæres) solatium, præcipuorum fratruum, tã religiosorum, quàm secularium pater, patroneque, mei,

☞ Primò objicìẽtibus doctissimis Medicis, & tibi respõdere simul conabor. Ne illi suis objection, &c.

reliquorumq; con discipulorum Antesignane, Astigitanæ ciuitatis Valetudo, Sanitasque, ignoscas obsecro, si impresentiarum minus tuis votis respõdeam, neve tuas laudes (alium locum exigentes) non efferam, ac me, meosque vos salutantes (si nõ plus vltra tu, tuiq; vt nos semper redamare soletis, ne desistatis, & valete plurimum.

Objectio Prima.

INTER illa, quæ aduersus tertiam Assertionem (quã videlicet non esse in morborum vigoribus venas secãdas, sustineo) tella immissa sunt, id acutius visum est, atq; a multis grauissimis Doctoribus animaduersum, ex ampla possibilitate. Posse enim contingere (aiunt) ægro in morbi vigore cõstituto abcessum aliquem in faucibus, [c] *atq; pro ægrotis faucibus, nec paucum, nec semel sanguinem detrahendum asserunt.*

[c] 3. cris. c. 6.

Quorum pace, si animi exercendi gratia hæc oblata fuit, ferri potest, at si ita sentiant, vel ipsi decipiuntur, cum quantumuis ampla posibilitate, vel cum Galeno, Hippocrateq; ego. Imprimisq; antequàm ad illud descendam, existimo, verum vigorem illum non esse, incrementum appellarẽ, nisi rigidè, & (vt decet) loquendo initium sit censendum, quoniam illis temporibus abcessus ex irritatione contingunt, putrefacta adhuc, pungenteq; materia. Nã vt & ab [d] Hippocrate iterum, hîc incipiam, abcessum in morbi vigore factum circa fauces: ortaque in corpore tubercula salutaria, nec remediis indigentia, ejus studiosos his verbis, jam diu docuit ille. *Vbi fauces* (inquit bonus Senex) *ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones*

[d] 8. Aphor. 15.

nes inspicere oportet. Nam si biliosæ fuerint, corpus vnà ægrotat; si vero similes sanis, tutum est corpus nutrire. En Hippocratem cum vrinis, dejectionibusve sanis similibus (quales morbi vigor exigit) nihil agentem, & longissimè a sanguine mittendo distātem. *Hippocratem vero de abcessibus superuenientibus, criticisque locutum citato in loco (non autem de incipiētibus) Antonius* [e] *Musa Brass. adducit ex Philothei doctissimi sensu.* Sermonisque connexione euidenter constat, quod punctum, vt summè necessarium cōmendo. Nam cum adolescentiam Medicam agerē, a grauissimis Medicis in tuberculis incipientibus, fauciumque morbis malè acceptum, pejusq; praxi acommodatum obseruaui. Cum tamen per multos annos isthęc sententia communiter versaretur ab omnibus: Hoc idem placitum eleganter Hippocratis [f] Commētator imitatus est, hisq; verbis extulit. *Neq; enim* (inquit) *vel animo cōcipi potest, quòd post morbi exquisitam coctionem, nō bona crisis subsequatur.* Hæc Galenus. Itaq; si abcessus contingat, perfectè cocta materia, & si insit faucibus, non indiget venæ sectione (si vero in morborum principiis, vel incrementis eueniant, in iis sanguinis missionem admitto) circa quod multa passim [g] Gal. videndus tamen sic dicens iterum. *Reduc item ad memoriam ante concoctum morbum, crebro te audiuisse, nullum quemlibet proficere abcessum, &c.* Sed gratis dato, quòd superatis jam causis, vincenteq; natura aliquid tale accideret, non vident adesse jam (qui deerat antea) scopum exposcentem, cujus superuentus venæ sectionem expostulat? & quid ex hoc aduersus conclusionem tertiam.

e Citato com.18 2.Aphor.

f 3. Cris. c. 5.

g 1. Epid. p. 3. ægroto. 2.

Objectio. 2.

PARVM Etiam afuit, vt me incusarent, quòd in vigoribus morborum non cōstare vires ad sanguinem detrahendum, scripserim.

h Teret. in proemio Andriæ.

Quidquid dixi, è Galeno exhaustum fuit, *cujus* (vt cum [h] Comico eodem loquar) *malo negligentiam œmulari, quàm aliorum auctorum obscuram diligentiam*. Ad rem tamen, ii obliuioni mandant artis nostræ precepta, quorum non est postremum.

Axioma Medicum.

Ad i sanguinis missionem, non solum præsentes, sed futuras vires inspicere oportet. Illos tamen, vt doctissimi [l] Valesii discipulorum nomen attectantes, ex eodem, hoc principium sic scribente, conuincam.

l 4. meth. c. 2.

Multis (inquit) *imponit sanguinis missio in diem rectè tolerata. Cum tamen id videndum non sit, an statim a missione sanguinis sit ægrotus defecturus; Sed an eo misso, sit, ad ferendum totum morbum, & tempestiuè, ac sine diuturnis noxis conualescendum, suffecturus.* Hactenus Vall: Ego modò. Exoptandum, vt in statu morbi vires constent, & ad crisim committendam, pugnęque victoriam, sin minus ad expurgationem suo tempore ferendam, *constent tandem ad victus* [m] *tenuissimi in statu institutionem*, quæ omnia nisi a Medico artis perito, cordatoq; prouidè perpendantur, importuna venæ sectione periculum misero ęgrotanti æquale quantitati sanguinis effusi adducetur, vt jam vidi, nō in vnius, aut alterius venis sectis, Saluatella, & aliis, ii tamen, & similibus judiciis non dormire credunt.

m 1. Aphor. 8.

Objectio. 3.

Hujus

HVIVS Causa, doctus admodum, comisque quidam socius ne Galenum omnino (sicuti Medici vulgares passim audent) desereret, dicebat. Constare quidem vires in statu ad sanguinis missionem reuulsoriam, si non ad magnam.

Quem monitum velim primò, in morborum statu [n] reuulsionis vim cessare. Secundò, Galenũ [o] eundem, reuulsioni vocatæ vires robustas inquirere, hac verborum serie. *Postulat autem* (de sanguinis missione reuulsiua erat sermo) *semper vires valentes, quæ modo vacuationis ejus respondeant.*

n Lib. de sang. c. 20. & passim.

o 9. Meth. c. 11.

Objectio. 4.

SANGVINEM In febribus continentibus reuulsionis gratia mitti ægrè ferunt, nec si ostenderim Galeni locum, doctrinamq; irrefragabilem, credunt.

Ignoscant tamẽ, qui omnia scire, audire, legereq; omnia, non potuerunt. Nam iterum veritatis amicis [p] Galenus adducendus, ait quippe sic, de ipsis continentibus medendis, scribens. *In aliis* (videlicet febribus) *vtilis est venæ sectio, seu quorum vehementiorẽ impetum ad diuersam partẽ reuocet* (id est, reuellat) *vel per propinqua deriuet.* Hæc de continẽtibus in nono methodi; sicut in vndecimo, de putridis, quæ tamen, nec ex auctoribus, nec ex Neotericis multi assecuti sunt.

p 9. Meth. c. eodem.

Objectio. 5.

NON esse apud Galenum testimonium, quo mouear, & asserere possim in loca illa, videlicet circa alas, & inguina, vt pote sanguine redundantia suapte natu-

ra, ab extremis, inopibusque aliis sanguinem fluxionẽq; ferri. Quibus ego, si [q] Galenum sanguinis missione reuellẽtem in continẽtibus rejiciunt, quorsum aliud ejus testimonium volunt? & si petunt, cur illi nõ obsequuntur? Sed ad rem, dixerim ex jecore ipso posse in illa loca, sanguinem mitti, atq; ex vena caua, majusculisque aliis, si non ex minimis, extremisque. Sed & à majori ad minus patet: nõne major copia sanguinis in jecore, quàm in venis? est enim fons jecur, venæ riuuli. Idem tamen cum inflammatione tentatur, a reliquis partibus fluxionem suscipit, infestaturque. Atq; sic [r] Galenus ad fluxionis in illud medellam, scribebat. *Ergo pariter tum reuellendus, tum educendus, qui ad jecur fluit sanguis est, &c.*

[q] 9. & 11. meth. sitatis, citandisq.

[r] 13. Meth. c. 11

Objectio. 6.

ASSERVNT Sanguinis missionem per se refrigerantem, alios ejus multos vsus nouos; vt a Neotericis adductos, & antiquos vt ab Arabibus manantes.

Hactenus in discipulis veris Galeni, alias vtilitates præter euacuationis, reuulsionis, deriuationisque fructum legisse, non memini. Si probant, vel ostendunt, accipiam, gratiamq; habebo. Interim tamen, quod negare nephas est, recolant nostrum [f] Galenum, distinctè docentem; sanguinis missionem, non per se, sed ex accidenti refrigerare, his verbis memoria dignis. *Nam frigida potio per se quidem proficit, vt pote actu refrigerãs, succus autem vuæ immaturæ potestate refrigerans medicamẽtum est, atq; hæc quidẽ ambo refrigerant primò, id est, per se ipsa, nec intercedẽte alio: at sanguinis missio (veluti prius indi-*

[f] 10. meth. c. 11.

indicauimus in febribus continentibus, quas synochos vocant) non primùm, sed ex accidenti calidam intẽperiẽ sanat. Hactenus Galenus, nec sine fundamẽto physico. [t] Cũ enim venæ sectio, euacuatio sit, & quid priuãs, *priuationi verò Philosophia nullã actionẽ positiuã concesserit.* Hinc fit, vt sanguinis misſio per se nullo modo refrigeret, ac proinde non est, cur Medici phisici per se refrigeratoriam venæ sectionem, sine ratione, & ad placitum, quantumuis graues, & auctores sint, typis mandent, insinuareque velint. Hujus etiam veritatis testimonium est, quòd nec semper (quamuis ex accidenti) refrigerat venæ sectio. Quod ex sequentibus manifestè conuincitur. Nam si vena secta educitur humor calidus, intemperans, quiq; intemperiem calidã fouet (cujus exemplum est Galeni in febribus continentibus) necessariò sanguinis misſio refrigerat; sin ex hypothesi, educatur humor frigidus, intemperãs, talemque intemperiem fouens, quis negauit, hujuscemodi sanguinis misſionem, calidam intemperiem mutaturam, atq; ex accidenti calfactoriã esse? Igitur ex accidenti vtrunque. Quod quidem assertum vltimum, nec nouum, nec meum est, siquidem Galenus [v] ipse, auctorem quarti acutorum exponens, circa hydropen, ex menstruorum, vel ex hęmorroidum suppreſsione ortam, illiusq; curationem, hæc scripta reliquit. *Nẽpe vt ignis prope extinguitur, immiſsis lignis, tum humidis, tum multis, nisi quis illico multitudinem sustulerit, sic in frigidiore ob copiam sanguine, vbi calor natiuus prope extinguitur, præsentiſsimum est remedium sanguinis miſsio.* Hæc omnia Galenus, è cujus thesauro de venæ sectione ago, liberas habenas aliorum cultoribus re-

[t] *Principium Arist.*

[v] *4. acut. 112.*

linquens, qui si forsitan ad stateram ducãtur (alius enim alium ballantium more insequitur) facillimè error, illiusq; primus auctor, & sequentium, non studentium multitudo deprehendetur.

Objectio. 7.

VOLVNT Refrigerationem; non verò deliquium per se intendi, in sanguinis missione vsque ad animi deliquium facta, pro cura febrium continentium.

Profectò si bona sors Complutẽsis Scholę mihi contigisset, doleret, si in rebus ad illam spectantibus, aliquis me præiret, ne dicam passim ex doctissimi Vallesii doctrina concluderet. Vt hic sæpius illos capiã. Respõdeat pro me eruditissimus Vallesius. [x] *Non enim nego, expeti per se passionem facultatis vitalis, puta refrigerationem, sed deliquium.* Et statim apertius; *Intelligat hic, Galenum non vti hac missione sanguinis propter sanguinis effusionem solum, sed ipsum deliquium per se prouocare, quo frigore, &c.* Hæc Vallesius. Sed nonne Galenus [y] ipse ait? *aufero itaque àb homine eo de industria sanguinem, quoad animo linqueret*, &c. quibus suum animum aperit.

x 7.contr. c.8.

y 9.Meth. c.5.

Objectio. 8.

BELLVM inferre putant, Auicenæ illud objicientes. Et cum natura non mouet, moue tu hora motus ejus. Ex quo venam in statu secandam eliciunt.

Cœterum veteres poterant, vel [z] Cardanum legisse sic sentientem. *Quod autem dicit, moue tu hora motus ejus, in noua etiã traductione, versum est hoc modo,*

z Lib. error. 20.

modo, moue tu, motu conuenienti motui ejus. Vel doctissimum [a] Menam sic legentem (*qum natura nõ mouet hora motus ejus) hoc pacto explicatur mihi. Si natura non mouet, hora motus ejus moue tu, transacto videlicet eo tempore, & quid per se faciat natura, animadverso.* Hactenus Mena, ex quo (sicut ex Hippcrate, Galenoque) in vigore nec sanguis mittendus, nec expurgatio exercenda: Adolescentes vero, jam senis attentè exercitationem legere, & meditari, decuisset.

[a] Lib. de expurgat. comm. 8

Objectio. 9.

ALIVD etiam au[illegible] juvem consulentis sic: camq; nec pharmacum purgationē fecerit, maliq; casus subsecuti fuerint, incidere quoque postea venam, par est, immo etiam post duos, aut tres dies, nam nisi id fiat, timendum esset, ne se humores ad partes principes conuertant.

Multipliciter responderi poteſt. Ne tantum virum deserere videamur. Primò quidem, si dicas, Auicenam [b] locutum de expurgationibus in vrgētia, turgentibusve humoribus, in morborum principiis institutis (quod remedium meis votis non respondet, causam ignoro, siq; in mutuis sermonibus, atque cum sociis collegians, amicis consulere, fateriq; soleo, quód pharmacum in principiis morborum exibitum meliorem venæ sectionis occasionem surripit) de quibus Auicena irritis euenientibus, id testatus fuit. Secundó poterit exponi de alimentosis medicamentis, [c] *quæ cum operatione frustrantur (multo aliter, ac rigidè purgantia) ex purgatura aliás alimētum fiunt, viresq; augent,* cumq;

[b] 4. 1. c. de solutione vētris.

[c] Gal de simpl. facult.

hæc eadem initiis morborum (& quandoq; in neu trorum corporum ſtatibus ſumantur) accidit vt iſtud Auicenæ conſilium vniuerſali doctrinæ nihil adimat. Tertio, & vltimo, reſp. quòd malorum accidentium cauſa, venæ ſectio jubetur, qui cum ſcopi ſint expoſcentes, Medicum ex indicationibus curantem, ad venam ſecandam alliciunt.

Objectio. 10.

OMNES judicia facta per ſanguinis profluuia objiciunt, in quibus imitanda eſt natura, ſola tamen critica reſpiciunt.

Hic, inferiuſq; inter arguendum, de ſanguinis profluuiis dicam, hæc enim objectio veritatis amicis, non qualecumq; negocium faſceſsit, nam ſi ab Hippocrate, Galenoque obſeruata, ſcriptaq; annotaueris (annotare vero oportet) proculdubio inuenies, morbos judicatos cocta materia, & cruda profluuiis ſanaſſe, ex his ægros nõnullos euoluam ſanguinis profluuiis cruda materia liberatos. Nam in Metonis hyſtoria ait [d] Galenus. *Quod vero in exitu totius narrationis ſcripſit, in hoc non erat recidiua, eo eſt dictum, quod abſque vrinarum coctione, eſt judicatus.* Et inferius. *Siquidem alium nuper ægrum ſanguinis eruptione judicabat, & mulierẽ, de qua nunc verba facit, ſudore, quãuis morbus vtriſq; inconcoctus eſſet.* Alias ommittam, & ad celeberrimam hyſtoriam deueniam, in qua hæc [e] Galenns habet. *Atq; inſuper illud addidi, vehementẽ ſanguinis fluxum ſpectandum, eo quod & naturæ impetus vehemẽs, & morbus adhuc crudus eſſet.* Hæc Galenus, qui (meo judicio) hæc eadem ſympthomatica profluuia com-

men-

d 1. Epid. p. 3. ægroto. 9.

e Lib. de præcognit. ad Poſthumum, c. 3.

mendat, vbi scribit: *Itaq; si tẽpore mittẽdi sanguinis, mẽses moueri contigerit, siue etiam, hœmorrhois sit reclusa, &c.* de qua auctoritate postea, ex quibus, & innumeris aliis (quãuis id à nullo in hãc diem animaduersum audiui) profluuia sanguinis symptomatica imitanda, plurimaque, non perfectè cocta materia euenire. Sicq; in initiis, incrementisque morborum conspici, demonstro, vt & in sequentibus videre licet.

Hæc sententia non displicuit [f] Desiderio Iacocio, viro citra omnem aleam doctissimo, dum dixit. *Nam cum sanguis in venis inflammatus feruet, ac multo calore, spiritu turgens in caput rapitur.* Hæc ille. Quibus turgentem sanguinem, ac proinde in initiis, incrementisque morborum fluxurum, quę verba alia [g] Galeni sapiunt, sic docentis. *At qui nihil habet admirationis, si aperiantur, & disrumpantur hujus regionis venæ à sanguine, qui sursum per caliditatẽ ad caput fertur, á qua non potest perflari, ac tunc res erari venæ, ac rumpi, ob spiritus copiã, qui drirumpit vel vtres, vel dolia, cũ in musto ferueti accumulatur.* Hæc Galenus, cui talis ratio medica accedit. Natura nihil expellit (multo minus sanguinem, nisi copia [h] grauetur, vel irritetur vitio, sed neutrum horum adest in morborum vigoribus (sicuti in principiis, incrementisque illorum) ergo in vigoribus non sunt profluuia sanguinis critica. Quod ad multitudinem probo; nequiret enim morbum natura grauata ad statum perducere, immo in incremẽto laborans suffocaretur, nisi illi aut à natura, vel à naturali Medico, artisque ministro auxilium conueniens allatum esset, & hoc est, quod dicebat [i] Galen. §. *Leuata namque, &c.* quod ad qualitatem patet.

f *3. de coacis præn. com. 2. pag. 122.*

g *1. Epid. 1. cõ. 9.*

h *Axioma Medicum.*

i *11. Meth. c. 15*

tet. In vigore enim, coctioneq; iam perfecta, quid poterit naturam stimulari, edomitis causis, succis correctis, subtilioribus partibus resolutis, crassis,
l 4. acut. com. 5. adductisque remanentibus? eoq; maximè, quod Galeno [l] teste, *coctio omnia cogat, incrassetque.* Sed sic se habet tota res in morborum vigore, igitur, nec qui quantitate grauet, nec qualitate lasceffat, est sanguis ad profluuia critica excitanda in vigoribus morborum.

Secundò, si sanguinis profluuia sympthomatica non sunt imitāda, nec vtilia: sequeretur sanguinis missionem à Medicis factam in principiis, non vtilē, sed hoc nō est dicendum, cum in hac sicut in aliis rebus ars imitata est naturam, magistramque habuit: igitur symptomatica adjuuanda.

Tertiò, si ob id, quòd essent profluuia sanguinis in vigore, volunt, tunc sanguinem mittēdum, eàdem ratione (quia eo tempore natura mouet
m 2. Apho. 29. per aluum) in vigore purgationem concedere tenentur, sed hoc minus est concedendum, [m] neutrum enim eorum in statu faciendum docet Galenus, igitur.

Quartó, si sanguinis profluuiū adjuuandū esset venę sectione, criticū videlicet, &quod nō in principiis adueniat, docuisset Galenus, vel Classici auctores, sed non docent, immo in Metone, sic con
n 1. Epid. 3. ægroto. 9. sulit [n] Galenus memoria dignissimum documentum. *Hujus te præsentissimum remedium docuit, capitis lauacrum, prædixerat enim in libro de ratione victus in morbis acutis, vitādum lauacrum esse iis, quibus de naribus erumpit sanguis, nisi minus fluat, quā opportunitas flagitat. Nunc vero erat iusto minus, siquidē in somnis perseuerabat, & delirabat, verum, & quæ sunt agēda.*

da, quò potißimum vergunt, ad loca accommoda rectè in vniuersum dicta, ab hoc casu fidem accipiunt. Hactenus Galenus, qui vergentem humorem adiubat balneis, sicut & nos diminutas purgationes decoctis, syrupis, aliisque illum motum augentibus. Igitur hoc tempore non est exercenda sanguinis mißsio.

Quintò, & vltimo, accidat fluxus sanguinis diminutus, quomodo hic per nares eueniens (hoc enim profluuium sanguinis excellenter ab auctoribus appellatur) adjuuandus est? de venæ sectione in brachiis dubito. Galenus o sic cohibet, non adiuuat profluuium sanguinis, reuulsionẽ docens, dicensque. *Cum sæpenumero cõspexeritis in valida sanguinis eruptione eo vsum* (videlicet venæ sectione) *repente fluxionẽ sedasse.* Hæc Galenus. Ex quo sanguinis mißsio fluxum retinet, non vero iuuat, quæ doctrina in p auctore libri Prorrhiticorum legitur, dicente. *Quibus è naribus copiosa, violenta, & multa fluunt, ad conuulsiones hi interdum deducuntur, venæ autem sectio soluit.* In cujus expositione Galenus. *Potest autem* (inquit) *& vehementis ipsius hœmorrhagiæ auxilium sectionem venæ dixisse. Nempe & nos sæpius auxilium experti sumus, perspicuè immoderatã sanguinis lationem sistentes; quod autem manum recto tramite nari, vnde sanguis abundè fluit, respondentem secare, manusq; eiusdem venam humeralem ferire oporteat, liquidò constat omnibus,* &c. Ecce primum quo modo Galenus critica profluuia non potest adjuvare secta vena: Secundò, ostedimus illi profluvio fauisse lauacris in Metone. Tertió, iuuasse symptomatica. Itaq; aliud est inquirere, an accidant profluuia sanguinis in vigore, aliud quomodo sint

o *Lib. de sang. m. c. 11.*

p *5. Prorrhit. c. 3. tx. & è nari. 53.*

adjuuanda, tertió vero an ſympthomatica poſsint imitari, iuuarique? hoc enim probatum eſt. Secundum dubio non caret, nam primum, quòd poſsint in vigore accidere, *defendendum eſt problematicè, cùm ob probationes* á me adductas, tùm quòd, cùm breui temporis curriculo putrefiat ſanguis, *cuius pars* q *tenuior vertitur in bilem; craſſa vero in humorem melancholicum*, in vigore morbi quis, qualis, quantuſve erit ſanguis tunc rejiciendus? dicoque illum eo tempore effuſum, ſerum eſſe bilioſum, vt videre eſt.

q *2. cris, & 2. de diff. feb.*

Quod ſi quis adhuc r Galenum objiciat ſic ſcribentem. *Et mulieribus per menſtrua, nõ tamen eſt impoſsibile, omnino diſtinguere, grauitas enim lumborum effatu digna, & tenſio, & dolor menſtrua hic antecedit.*

r *3. cris, vlt.*

Reſponderem ſimiliter, illum non eſſe ſanguinem, ſed fæcem illam craſſam, in quam ob corruptionem, tenuibus humoribus oppoſitam (vt ſupra dicebam) ſanguis degenerauit. Quod autẽ in morbi vigore omnino mutatus ſit ſanguis, latius poſtea neceſſario dicendum eſt.

Objectio. II.

FVIT Etiam objiciens Galenum in ſuis operibus, præcipueq; in methodo deliberantem de curatione continentium, euacuationeq; ſanguinis miſsione exercenda, plethoræ nominatim, non vero reuulſionis meminiſſe.

Dicendum, nihil intereſſe ad rem deueniẽdo, ſ hoc, vel illo termino vtamur, quamuis iuxta indicationum doctrinam loquendo, rationabiliuſque curando, reuulſio eligatur. Forſitã vero id circo, pluribus vocibus vti poſſumus, quia dum adeſt ple-

ſ *11. Meth. c. 10*

plethora (in his febribus, de quibus est controuersia) vasa distendens, focusque putredinis, pars debilis, denique pars mittens, & recipiens (ex quibus [t] fluxiones accidere est certum) hinc fiat, vt scripsisse Galenum, in his ipsis detrahẽdum sanguinẽ plethoræ gratia, illius discipulos, scrutatoresq; veros, reuulsionis gratia, ex eodem faciendã venæ sectionem (quod non lethargicis accidit, soporosisq; Medicis) mirum in modum cõsonet. Siquidẽ dum adest plethora, adest fluxio, fluxionique reuulsio debetur citra febres, & in febribus.

t *Axioma Medicum.*

Objectio. 12.

NATVRA In phrenitidis vigore profluuio sanguinis narium ægrotos liberare, eamq; imitandã venis sectis dicunt.

Si licèt inquiro. Vel insinuant è brachiorum venis illum eo tempore sanguinem demendum, vel á venis [v] deductis ab ipsis partibus affectis, quidquid dixerint, artificio careat, est necesse, facta enim phrenitide, cessanteque iam fluxione, venæ brachiorum inutiliter secabuntur: sin velint (quod rationalium est) ex narium, [x] frontisve venis, sanguinem detrahere. quid contra me? Hæc venæ sectio particularis est, & [y] localis. Istam vero manifestè exclusi assertionibus, *de vniuersali sanguinis missione loquẽtibus,* [z] illam enim venę sectionẽ, quę in phrenitide admittitur, ac in angina, cucurbitulas scarificatas in pleuritide, lethargoque, & in a- aliis partibus admitto vigilans, objicientes dormitant, vel contendunt.

v *Lib. de sangui. miss. c. 20.*

x *Praxis communis.*

y *2. Epid. 2. 26.*

z *In exercitatione.*

EX Tribus venæ sectionis vsibus enarratis iam, reuulsionem debere principiis, incrementis deriuationem, statui vero euacuationem congruere arguunt.

Illorum fundamenta hactenus nec audiui, nec legi. Sciui tamen Hippocratem, & Galenum reuulsionem, & deriuationem duas esse oppositas differentias docuisse. Scio, & probaui satis, superque, Hippocrates quidem dum dixit. [a] *Deriuare cædentem retrahere statim, renitenti cædere.* quod Galenus, vt verisimum ab eo accepit. Nam loquens de revulsione, deriuationeque in principiis inflammationum, atque illarum fluxionibus, & quibusque fluxionibus faciendis vtramque, reuulsionem scilicet, deriuationemque instituit, [b] agensque de principiis fluxionum, reuulsionem, derivationemque (vtrinque re pensata) consulit. Multa loca omittam, magis auctentici libri doctrinam lege, sic testantis. [c] *Auertitur autem sanguis, atque ad alia membra conuertitur, tum ad prima deriuatus, tum ad contraria reuulsus, illud parocheteusin, hoc antispasim Græci vocant, nam hæc quoque Hippocratis inuenta sunt, omnis scilicet immodicæ euacuationis communia remedia. Deriuatio ad vicina fit, cùm id, quod per palatum euacuatur, per nares deriuatur, reuulsio autem ad contraria.* Hæc Galenus Dialecticæ non imperitus. [d] Nam cum auersio híc genus sit ad deriuationẽ, reuulsionemque, æqualiter gaudeant diuiso, est rationi consonum, vnde & tam deriuatio, quàm reuulsio in principiis est exercenda. Secundó, aduertisse oportebat (nec enim hoc indicationum peritis erat difficile)

a *6.Epid. 2.9.*

b *Lib. Meth. & vbique.*

c *5. Meth.c.c.3.*

d *Apud Dialecticos, vbi supra.*

cile) quod vt ſupra animaduerſum eſt, me quam-
cumque ſanguinis miſsionem peculiarem, ceſſan-
te iam fluxione accipere, ſicque argumen-
tum omni ex parte inualidum eſt.

(.·.)

C i QVÆ

QVÆ DE APOLOGIA auctoris Atecuēsis, vbi duo loca apud Galenum difficillima promittuntur, & verius duæ dictiones facillimæ Grammaticè explicantur.

POST INGENIOSORVM Medicorum objectiones, vno cōsensu Assertionem tertiam oppugnantium, singularis apparuit, plurimis mensibus exactis, in quibus, non modò viros eruditos, sermonisque Græci gnaros Hispalenses (vt de more habet) defatigauit, sed Hispanos omnes consulere potuit. Qui, quibusdam hinc, & inde corrasis inanibus, verbis potius (illius animi insignis) quàm rebus, & si rebus, extra chorum saltans, contentiosè non esse mittendum sanguinem regulariter, in morborum incrementis vnicus asserere ausus est. Cui, quando in hunc sermonem incidimus, par pari referā, veritatem, illiusque incrementum pro scopo habens, illi enim propter multa satisfacere nolem.

Objicit pro fundamentis, primum, trimembrē principii acceptionem. Secundum, quòd Hippocrates, & Galenus loquentes de principio sanguinis misioni oportuno, pro cruditate solum principium vsurpant. Tertium, quod morbi incremētum, sub statu comprehendendum sit. Quartum, coquentem augmento naturam, tunc vena secti distrahi. Quintum, in augmento crises expectandas

das. Sextum, in augmento, & statu morbi, naturā coctioni vacare. Septimum, Peredam, ex coctione in vrinis incipiente, sufficientem misionē sanguinis arguere.

Dicit de primo doctissimus [a] Hieremias Triuerius sic. *Quartum enim* (scilicet principium) *ex Hippocratis sententia apponere oportet, quod verum principium, atque augmentum continet, quodq; in statu protrahitur, atq; ab eo tantum distinguitur.* De secundo, Galenus [b] in loco ab objectore attrectato, nec intellecto legendus ait sic. *Verùm, quoniam quintum sæpe diem, aut sextum ab initio expectant, prius quam nos, &c.* En Galeni principium, pro opportuno tempore ad venæ sectionem, dierum numero, nō vero cruditate insignitum. De tertio Triuerius [c] idem dicit. *Id nunc manifestè ex Hippocrate constat, qui principio nominato, ad statum transiliuit, tanquam augmentum sub principio continuerit.* Hæc ille. Has vero objectiunculas superfluas, ac extra rem esse, quis non videat? Ego vero distinctè de incremento loquor; atque medium esse inter principium, incrementumque assero, ille vero confusus inuoluit. De quarto vero solum natura maximè coquētem (quod in vigore euenire Galenus [d] ait.) *Eo tēpore distrahi, fides est Medica.* De quinto, absurdum est, velle crisim obseruandam esse in augmento morbi, dicente [e] Galeno. *Neq; enim in augmentis, neq; in principiis, sed in statibus illa apparere oportet.* De sexto, videtur dicere, naturā in principiis vacare cruditati, at [f] Galenus initiis morborum signa obscuræ coctionis dat, attingā in argumentis. Pro septimo, Pereda vir doctus admodum, & Galeni discipulus vera narrat, quæ tamen ab omnibus nō intel-

a 2. Aph. 29. cō.

b Lib. de sangui. misione, c. 20

c Loco superius citato.

d 1. Aph. com. 8. 2. Aph. 29.

e 1. cris. c. 10.

f Lib. eodem.

intelliguntur, incipere enim motum, successionemque includit, sic explicant illud incœperint, Hippocratis [g] docentis. *Sudores febricitanti, si incœperint, boni,* &c. Sed quis nesciret primam status partem, vltimam esse increměti? sicque signa hæc maximam latitudinem sortita esse.

g 4. Apho. 36.

Objicit octauo, tempus, vt ego asserui (non Cairos, vt ille innuit) non eße æquiuocum, esseq; diuidendum.

Hisce, sicuti reliquis omnibus, quàm sit versatus in Medicorum (fortasse in Cicerone) Philosophorumve lectione, ostendere nititur, frustra tamen, vt ex dicendis constat. Galenus [h] enim (quem si vidisset, Ciceronem respueret) tempus non definit; sed diuidit, dicēs. *Duæ igitur temporum differentiæ apud Medicos cælebrantur.* (Cælebrantur ait apud Medicos, non sunt, tres enim postea adducam ex eodem Medico cælebrante tertiam, vt Expositor, aut Impositor cælebrat Grauis) *aliqua enim morborum, aliqua auxiliorum tempora dicuntur, atque hinc manifestè curatio fiet.* Hæc Galenus artis Logicæ peritissimus, hocque organo Logico, tēpus æquiuocum censendum, aduerte tamen (candide Lector) Galenum hìc docuisse, ex hac duplici tēporum differentia, manifestè curationem fiendam, tempore simplici, nondum impræsentiarum nominato, quod tempus ita Apologéticus extollit, ait namque.

h Lib. de optima secta ad Thrasib. c. 37.

NVLLO Non tempore, sic exponentes. Quocumque die, siue quacumq; hora diei, aut noctis, & rursus, quocumque tempore, siue diurno, siue nocturno, quocumque die, &c.

Hæc loci explicatio diffiicillimi, & vt melius vnius vocis, multis mediis singulis, & omnibus conclu-

concludentibus (quia indigna Medico est) extirpanda sic venit. re à suis principiis petita, breuiter tamẽ, & cum Lectoris candidi vtilitate aliqua.

Pro cujus elucidatione aduertere primum oportet, quod vbi interpretes. *In omni*,[i] aut *nullo nõ tẽpore*, vertunt, Codex Græcus habet. *En Panti Cairo*, quod verbum rigidè versum, *Cairo* inquam, *tempori opportuno in latii sermone respondet*, noster vero Græcus, aut gracchus (forsitan Græcè nos omnes decipere volens) *non tempore oportuno*, sed *simplici*, legit, quod non *Cairo*, sed *Chrono*, scribendum Grę cè fuerat. Si tamen ipse erubescere timeret, typis hæc non mandasset, de quibus vocibus nonnulla necessariò dicenda sunt, atque ex illis apparebit, quàm peritus Græcæ linguę is sit, qui à me nedum elementa Græca dignoscente, apertè conuincatur erroris. De eisdem autem vocibus, si alia lexica (quæ ex Budeo[l] viro laudato, híc refero) nihilo discrepantia leges. Ad propositum igitur accedẽs, scribit. *Est autem Chronos propriè, quoties de genere, seu modo, spatiove temporis agitur. Veluti seculum, mẽsis, annus, dies, hora: Cairos vero, cum sentimus rei gerendæ oportunitatem*. Hactenus Budeus. Sed cum in Codice Græco *Cairo* sit (fatente illud Doctore) velle pro *Cairo*, *Chrono* supponere, & illud *Panti*, (Latinè *omni, aut nullo nõ tẽpore*, dissimulare) vt vnicum tempus, incrementum videlicet venę, sectionis neget, quo nomine appellem, nescio, Lector judica, illud mei numeris est, aduertisse, hoc absurdum, & alia similia proferre audentem, liquidò voluisse singularem virum Galenum, non summum Medicum extitisse, in Philosophia nulli secundum, maximèque lectionis virum, eruditio-

i 9.meth.c.5.

l Budeus in Lex.

nis omnigenæ thesaurum, sed vulgarē Medicum, semibarbarum, & nō benè sui sermonis cōpotem.

Ad rem tamen, accedat Budeo Logicus sic. *Cairos* (id est tempus opportunum) est aliud á *Chrono* (id est temporis spatio) ergo absurda est expositio. Antecedens est omnium sermonis Græci peritissimorum, atque peritioris Galeni (vt infra adducam.) Sequellam probat Summularum Regula, de membris diuisionis docens. [m] *Vnum cum alio confundi non posse.*

m *Tol. 1. sum. c. 6.*

Secundò, qui dicit tempus opportunum, dicit tempus, & quid aliud, opportunitatem videlicet, sed Galenus dicit tempus opportunum, igitur tempus, & opportunitatem: maior, & minor satis sunt manifestæ, sed opportunum tēpus accidit noctu, diu, manè, vesperi, & quacumque hora, & temporis articulo: igitur, qui dicit tempus opportunum, hæc omnia dicit. Consequentiā probo, quoniam [n] morbi suis limitibus, terminisque constant, termini diebus metiuntur, dies luce, tenebrisque, hæcque horis, &c. Igitur frustra adducitur tempus simplex.

n *2. Aph. 23. & 1. Prognos. 28*

Tertiò, Expositio istæc potius videtur Galenum obscurare, patet: quemadmodum enim, qui hominem per animal vult explicare, cōfundit, sic similiter, qui tempus opportunum, per tempus latum, quia tempus opportunum articulo temporis contractum est, diciturque ad differentiam temporis importuni, quod quid confusum est.

Quarto, Galenus dicit. *In omni*, aut *nullo nō tēpore*. Omni autem tempori non adest opportunitas.

Quinto, Quis Medicus ita manifestè omni subiiceret? signumve esse vniuersale, [o] nesciret, atque

o *8. summ. c. 7.*

in

in tali furto deprehendi non timeret? ex quo signo plura tēpora eliciuntur, nouus quidā Logicus.

Sed ne meum, studiosorumque tempus in importunis, importunorumque objectionibus diluēdis perdam, ad Galenum nostra oratio conuertatur. Videbitque Lector amicus, me non immerito Galeni affectissimum esse (quod ipsum omnes expetere vellem) sic dicentem, meamque veritatem, veriusque suam doctrinam confirmantem, his memoria dignis verbis. *Qualis res est animalibus secundùm ætatem differētia, p talis morbi sunt tempora, quæ Cairos Græcis vocantur* (quid clarius dici potest, quibus somniatam expositionem rejecit?) *Neque enim* (addit) *tempus simplex hoc vocabulo significatur, neque conueniens illud tempus, in quo præsidia etiam consideramus.* Hactenus Galenus. Ex quo, non ex Cicerone tempus æquiuocum esse, illiusque differentias Medicas, Philosophicamque didicisse, prę loque mandasse veteranum Doctorem decebat. Denique Cairon (non vero Chronon tempus simplex) Galenus vult. Quod vero magis Doctoris ignauiam detegit (nisi dissimulasse dicendum sit) est, non aduertisse q Galenum semetipsum exponentem, sex, aut septem post positis lineis celeberrimis, si vllis aliis verbis. *Itaq;* (inquit) *si tempore mittendi sanguinis menses moueri, contigerit, &c.* (dissimulauit autem, quia tempore mittendi sanguinis suppresso, de tempore simplici loquens, ait Doctor. De hoc Galenus in eodem hujus loci capite loquitur, quando inferius dixit. *Tanto tempore differre venæ sectionem jubebis*. Inquiro, tempus, quod Galenus hìc appellat tempus mittendi sanguinis, est tempus simplex? verè per excellentiam tēpus

p *Lib. de morbi temporib. c. 1.*

q *9. Meth. c. 5.*

mittēdi sanguinis principium appellat, circa quod mea prima Assertio instituta, dicens: *Sanguinis missio suum præcipuum locum*, &c. phrasis est Galeno vsitatissima, immo necessaria (vt postea dicam) vt *Cairo*, loquens de tempore opportuno se met explicet, sic enim hoc vltimo loco testantur Græci

r Cap. 10. Codices, similiter dum eodem libro dicebat. [r] *Nisi sanguinis missio opportuno tempore, & debita mensura fiat*, nec minus inferius dicens. [s] *Quando ægris, qui insanabiles sunt, iis nec tempus vllum, vllum opportunum, nec præsidium existit.* In quibus omnibus Cairo, non Chrono Galenus vtitur, apud quem hoc est perpetuum. Cæterum à me excussa expositio, Galenica est, vt manifestius probabo, ex eodem libro, doctrina, morbo, medellaque, cujus rei gratia locus idem ante meam expositionem difficilis, iterum transcribēdus est. *Maxima vero febrium cōtinentium remedia hæc duo sunt, sanguinis missio, & gelida potio, verum illa nullo non tempore*, &c. His verbis non aliter se admirandum Philosophum Galenus, quàm natura ostendit. Natura [t] enim in principiis generationis animalium, ex vtriusque parētis principiis, delineationes quasdam in embrione effingit prius, postea vero statuto curriculo, subjactis antea similaribus, præcipuisq; partibus, postremum ornatum animalibus inducit, quod exemplo pictorum illustrabitur, ii enim quibusdā lineis in tabulis sparsis (litturas potius appellare oportet) quas nisi artis peritus judicare queat, postea vero implent,, perficiunt, releuantq; ita, vt quosvis homines alliciant, deliriisque afficiant, sic similiter in loco controuerso Galenus (jactis enim ibi tantum indicationibus) in loco à me híc adducendo

s Lib. 11. c. 9.

t Hipp. lib. de genitura.

do rem totam deliberans methodo, ita perficit illa omnia, á quibus methodi imperitus numquã se expedire posset, scribitque [v] sic. *Ideoque omnis febris, quæ febris est, humectatio, refrigeratioq; remedia sunt, ac si hæc sola sit, ad refrigerandum, humectandumque omne medentis consilium veluti ad finem dirigitur, ita vt nihil sit, quod præterea ad curationem desideretur, nisi vt materiæ inueniãtur, quæ huic proposito idoneæ sint. Materia vero inuenta, vt opportunum tẽpus ex quatuor febris temporibus captes; Quantitatẽ vero, &c.* Quod vero hic locus primi sit expositio, paucis his accipe. Nam in superiori; soli continenti medebatur, solique *sanguinis missionem, gelidæque potionem adhibebat*; Quibus inferius scriptis hæc respondent, *ac si sola hæc sit, &c.* Istis enim verbis largius Galenus remedia exponit. In superiori, solam *venæ sectionem, & frigidæ potionem* ob oculos ponit, in hoc inferiori, vtramque sub materiebus Medicis comprehendit, dicens. *Ita vt nihil sit, quod præterea ad curationem desideretur, nisi vt materiæ inueniantur.* Quod vero sanguinis missio sit materia Medica, (neque enim auxilium simpliciter, & absolutè) docuit rationalis Medicinæ maximus Præceptor Galenus [x] his verbis. *Siquidẽ sanguinis missio, quã phlebotomiam vocant, ipsa quidem per se, hoc quod jam dictum est, nomẽ possidet; at cũ homini malum affert, &c.* & mox. *Ac propterea cum proficit, vocatur auxiliũ, sicuti profectò materia omnis, quæ quomodolibet corpus alterat, quo tempore juuat, auxilium dicitur.* Hactenus Galenus, cui sanguinis missio, & gelida potio sub materiis Medicis comprehenduntur. Præterea, superius dixerat (quorum causa hæc omnia euoluuntur) *Verùm illa nullo non tempore, &c.* in vltimo

v 9. Meth. c. 14.

x 11. Meth. c. 1.

timo tandem hoc se ipsum exponit, dicens. *Materia vero inuenta, vt opportunum tempus, ex quatuor febris temporibus captes.* Ecce *nullo non tempore, modó vires sustineāt, opportuno tempori ex quatuor febris tēporibus captando correspondens:* Vtrumq; y tamē caput videat, conferatq; Lector, ipsissima enim sunt.

y 9. *Meth.* 5. & 14

Sed vt totam (ad materiam primam, quod dicunt Philosophi) rem reuocem, vltimo in simplicis temporis auctorem, ejusque (si qui sunt) fautores, hæc reuocare in memoriam oportet (quó vel sic euidētius vis veritatis, supellexque Athecuensis Doctoris pateat) *Medicatorias* (teste z Galeno) *indicationes tres esse in communi, alia sumitur á morbo ipso: secunda à virtute: tertia ab ambiēte nos aere.* Quibus sic stantibus, vel damnanda est Galeni a doctrina, vel Doctor ignorantiæ conuincendus, nec solum artis Medicæ, sed & principiorum ejus. Galeni doctrinam falsam, quis sanæ mentis vir, ne dicam Medicus, asserere audebit? Secundum vero sic demonstro. Nam Galenus nō solum in duobus adductis capitibus, sed vbicumque illi est sermo de sanguinis missione, duplicis vtriusque repetiti jam temporis reminiscitur, opportuni scilicet, & simplicis, quid dico reminiscitur? immo meminisse tenetur, aliter enim non fuisset talis. Præcedentibus capitibus, exempli gratia, opportuni recordatur temporis, dicens, b *nullo non tempore*: tēporis vero simplicis, inferius dicens. *Voco cœli statum, ipsam aeris nos ambientis intemperiem, sub qua, & anni tempus, & regio comprehenditur: quando horum vtrumq; quoque ex ambientis temperie indicationē mutuatur.* Hæc Galenus, ex quibus constat, quód dicere paro (quodq; quemlibet mediocrem scholasticum

z 9. *Meth.* 14. *citato.*

a 9. *Meth. c.* 5. & *vbique.*

b 9. *Meth. c.* 5. & 14.

ſticū ſcire contingit) hujus duplicis temporis non vnam, eandemque eſſe cathegoriam, nam tē poris opportuni ſcopus, ſpectat ad indicationem à morbo præſtitam, ad illamque reuocatur. De qua Galenus [c] paſsim. *Morbus* (ſcribit) *ſuæ affectionis indicat auxilia, flebotomiam videlicet, clyſma, &c.* At vero temporis ſimplicis ſpeculatio, ad indicationem à viribus ſumptam (niſi coindicationem eligas dicendam, aut quantitatem menſurantem) reducenda venit. Quantum vero inter vtramque indicationem diſtet, quis poterit metiri? aut hæc inter ſe conjungere? atque ex his ignorantia primarum indicationum, atq; Chimericarum tenebrarum luce meridiana clarius conuincitur.

c 1. Acut. 44.

Multa ne tædio (Lector optime) afficiaris, omittam, dum tamen liceat hæc referre, videlicet, quòd quāuis Galeni deprauata illa Expoſitio, aut Impoſitio, illiuſque Aſſertor ab omnibus Medicis (quibus inuitis ipſe legebat) irriſa fuerit, ab omnibuſque rejecta, vt pote quæ aduerſus omnes auctores ab Hippocrate vſq; ad noſtra tempora (& ipſum Valleſium de tēporibus morborum loquentem) contraque illorum ſenſum, quibus ipſe placere conatur, explodatur, attamen animaduertere oportet, quod cum Galeni eſſe ſenſum, explicationemque inſinuet, olere tamen Galenomaſtichem Argenterium, oppoſitiſsimumque hoſtem. De quo ſic diſcipulus maximus Galeni Ludouicus Collado. [d] *Miror autem* (ait) *cur Argenterius contēdat, occaſionem ex Galeni ſententia morbi tempus ſignificare, cùm id nec per ſomnium ſcripſerit Galenus.* Hactenus Collado. Egoque hactenus de primo figmento Græco Grammatico.

d Iſag. c. 24.

DI-

DICIT, secundæ meæ Aßertioni dediſſe occaſionẽ, locum illum Galeni, in quo primum, & ſecundum tempus venæ ſectionis aſsignat, libro de venæ ſectione capit. 20.

Non cujuſvis hominis eſt, Galenum intelligere, tantum abeſt, vt ſit exponere; caput tamen illud ſi quis ingenioſus vir totum evoluat, facile inveniet, nulla alia de re locutum [e] Galenum, nihilque aliud ex profeſſo voluiſſe, quàm antiquos aliquot Medicos, circa indicationem ad venæ ſectionem ſumendam, dierum numerum perperam aſsignaſſe, quo abſoluto, veram viam docere (id quod jam à me animaduerſum eſt, dicente viros illos graues à temporibus incæpiſſe, in dierum numerum finiiſſe) itaque ab initio ad capitis calcem, de dierum numero agit, idq; in ordine ad virium robur, illiuſque temporis ſimplicis indicationem, velle vero hunc [f] locum adaptare indicationi, á tẽporibus morbi ſumendæ, ad Epheſios eſt, velleq; tandem (vt ſupra dictum eſt) vtramque indicationem cõfundere. Quamuis enim temporum, & dierum meminerit Galenus, id in ordine ad vires, nõ ad morbum, ad conſentientemque, neutiquam ad expoſcentem ſcopum, vnoquoque capitis illius verbo refert, & meam expoſitionem, conjecturamq; in hac re auget, quod [g] Galenus, & ſi loquitur de principio, & ſecundo tempore venę ſectionis, non reminiſcitur ſignorum coctionis manifeſtæ, & cruditatis, aut obſcuræ coctionis (quibus principium artificioſum dignoſcitur) ſed de principio dierum numero ſignato, atque incremento ſimiliter, dicẽs. *Sed quoniam quintum ſæpe diem, aut ſextum ab initio expectant.* Hactenus Galenus, qui in illo

e Lib. de ſangui. miſſ. c. 20.

f In lib. ad Thraſib. & Meth.

Indicationem vtramq; multũ inter ſe diſtare illud principiũ docet ſufficienter Gal. dicentis. Quidquid indicat, aut ſui conſeruationẽ, vèl ablationem indicat.

in illo loco tantum agit de diebus, vt illos, illorumque auctores confundat. Denique de temporibus, diebus judicandis ibi Galenus. Mea vero exercitatio circa tempora artificiosa coctione, & cruditate judicanda, versatur, sicque meæ cogitationi locus is occasionẽ non dedit, vt male Doctor judicauit. Vnde elicitur, Doctorem, illum locum haud quaquã assecutum fuisse. Secundo suis tellis enecandũ, siquidẽ ex tali Gal. doctrina constat, Venæ sectionẽ intra principium, incrementumq; morbi, siue artificiosa, siue inartificiosa (tẽpora ame ad venę sectionẽ opportuna vocata) cõtineri, atque includi. Nam cum scripsisset. *Verùm quoniam quintum sæpe diem, &c.* addidit, [h] *Expediet nihilosecius quoq; sanguinem detahere, etiã si primum tempus hujus auxilii sit omissum*, reddiditq; rationẽ, tẽpora cingens. *Quocumque enim die* (principii, & incremẽti cõmemoratorum) *mittendi sanguinis scopos in laborante inueneris, in eo auxilium illud adhibeto, etiam si vel vigesimus is ab initio extiterit*. Pergit deinde. *Porrò autem quoniam temporis tractu exoluitur in morbis plerisq; virtus, &c.* Vbi agit de tempore simplici (sicut alibi passim) pro indicatione tamen á viribus sumenda (nec enim hæc non repetenda sunt) at vero tẽpora morborum simul cum affectu indicant de venæ sectione. Itaque hìc, & ibi, & vbicumque de sanguinis missione Galenus agit, cogitur meminisse temporis opportuni, aut temporum opportunorum (est enim ignorantia, innuere, referre aliquid, appellentur tempora opportuna, aut tempus in singulari: morbus enim cõtinuum quid est, quãuis [i] tempora, partesque cõsideremus) idque ex parte scopi exposcentis videlicet

h *Eodem loco.*

i *Tempora morborum motiones causæ morbificæ appella tæ à Gale. ad Trasyb. c. 37.*

delicet, cogitur etiam, meminiſſe temporis ſimplicis ſimul, pro ſcopo conſentiente, menſuranteque, nã ad venæ ſectionis auxilium præter alias multas; vtriuſque temporis conſideratio ſimpliciter neceſſaria eſt.

Vnde pro comperto habeo, quod, exemplum Galeni in vigeſimo, & Auicenæ, in quadrageſimo (quid quid alii dixerint) in acutis, vel in his, qui ex acutis decidunt. Intra principia, incrementaque morborum, tenet verum, ſi prædicti auctores ſuas leges ſeruent, idq; meo judicio fundamentis Galeni innitenti. Vltra vero prima duo tempora, non meo, ſed & omnium melius ſentientium. Itaque ſenſus horum verbotum; *Quocumque enim die, &c. etiã ſi vel vigeſimus is ab initio extiterit*, principium, incrementumque continet, nec enim aliis temporibus adaptandum judico.

1 *Mens Gal. in 20. die aſsignã do, & Auicen. in 40.*

Object. 11 *NONVNQVAM illud, à me adductum ex loco de optima ſecta, principio non reſpondere, ſed incrementum reſpicere*, vbi etiã gracchiſſat, vt græciſſet.

Nugatur profectò, doctrinale namque eſt hoc, vniuerſaleque præceptum, nec Galenus tales Expoſitores feret. *Nonunquam*, hic non penes incrementum, nec initium accipiẽdum eſt, id enim ſcopis præmiſsis in morbis vehementibus (vt artium conditores inſtituunt) accipiẽdum exiſtimo, eoq; maximè, quod nemo audeat ſanguinem mittere, vſq; ad animi deliquium, ſicut antiquitas faciebat; itaque in vehementiſsimis, maximiſque morbis, non ſolum *Nonunquam*, ſed vt in plurimis, initiis, incrementiſque ſanguinis miſsio fertur, quia non audemus initiis profuſam venæ ſectionem jubere: at vero, cum non ita vehemens fuerit affectus, ſatis

tis

tis erít adhibita in initiis venę ſectio: ſicut ſi [m] leuis fuerit morbus, nec in principio, nec in aliquo tẽpore venæ ſectionẽ expoſtulat, nec Medico indiget. *Gal. 1. de locis affect.*

Sed nonne pudet, ſemper Grãmaticum dictiunculis in publicum exire? Leget modò *Nonunquam*, (amici Lectoris gratia, quod non vnquam legeret, & ſi legeret, non animaduerteret) indignus quippe eſt, Galeno [n] ſic ſentiente. *Voco autem indignos, quicumque malo ſunt animo, nec libros, vt diſcant, legunt, ſed vt quempiam inde calumnientur.* n *Lib. ad Poſthumum, c. 9.*

Cæterum, ô diuine Hippocrates, quid de *opportune ſanguine detrahendo*, & de illo *Nonunquam*, nobis ſcriptum reliquiſti? mihi enim ſolus deeras, qui ſcopos omnes annotaſti, de te enim ſic Galenus [o] teſtatur, *ac* (vt breuiter dicam) *omnem ad medicationem viã, mihi apperuiſſe videtur.* Vidẽdus igitur hic Hippocrates, qui tale oraculum ſcriptum reliquit. *Nonunquam* [p] (en Nonunquam amice Lector) *aliquibus ſanguinem detrahi oportet; opportunè* (ecce itidem tempora opportuna, omnia enim ab Hipocrate accepiſſe Galenum, indies mihi perſuadeo, vnde & ſcriptis hujus major fides accedit) *in talibus; in aliis, vt in talibus* (en tandem importuna tempora) *non conuenit*. Hactenus bonus Senex. Quid illius Commentator ſcripſerit, lege. [q] *Expedit* (inquit) *horum aliquibus ſanguinem detrahi, quibus ſcilicet is copioſus eſt, & nõdum inſigniter ad alterum humorem conuerſus* (ac ſi euidentiſsime dixiſſet, In principiis, incrementiſque morborum, in quibus adhuc copioſus eſt ſanguis, atque ſemiputridus, detrahendus opportunè in talibus eſt. *Non detrahendus autem, in quibus jam mutatus eſt*, id eſt, in morborum vigoribus, in quibus mutatus jã eſt. o *Lib. 9. Metho. c. 8.* p *6. Epid. 3. 48.* q *Gal. in enarratione.*

 Hacte-

Hactenus Galenus, apertius ne dici potest. Conabor tandē, hic enim locus in meam memoriā revocauit cæleberrimam [r] Galeni aliam auctoritatē, in qua apertius (si dici potest) opportunorum temporum doctrinā corroborat, dicens juxta conceptum meum (scio aliorsum posse sensum transferri horum verborum) *Vbi paululum, vel citra sanguinem restitum, vel vltra processum est*, ac si dixisset in principiis morborum, ita enim vt plurimum accidit, *audacter sanguis detrahendus est*. Vbi plus (id est, in morborū incrementis) *cōsideratius est agendum. Vbi plurimum nullus omnino sanguis detrahēdus est*, videlicet in morborum vigoribus. Atque hæc de secundo figmento GræcoGrammatico, *Nōunquam* enim illud ex Hippocrate Gelenus trāstulit, vbi non opus Expositore est, sed artis Medicæ vigili studioso.

r 4. sani. tu. c. 4.

Object. 12

IN Ipsa autem vniuersali declinatione morbi, nonunquam vtitur Vallesius sanguinis missione pro auxilio attemperante viscera, forsan non ad suum, sed ad Auicenæ placitum.

Attēde imprimis Vallesii doctissimi Patronum labescentem, sed quando sit Auicenæ, nonne Vallesius confirmat? repetitque? Ad pensum tamē, hic Doctor locum hunc declinationi morbi dat, alter vero amicus vigori, an & hoc inconstantis, ac methodo carentis doctrinæ indicium est? fortèq; Interpretum? nullum probantem hactenus vidi; Conciliare nō est mei muneris, ad objectionem tamē, volentis venæ sectionem faciendam in morbi declinatione, ex auctoritate, demonstrationeq; ejusdemmet Vallesii sic [f] dicentis, respondeo. *Sanguis vero* (inquit) *tanto incommodius euacuatur, cùm cor-*

f 7. cōtrou. c. 9.

pus

pus fuerit expurgatum (expurgatis enim ferè ſemper hæc ſanguinis miſsio jubetur) *quam antea; quanto minus commodum eſt, purum ſanguinẽ euacuari, quàm impurum.*) Hactenus doctiſsimus Vall. cujus methodicã rationem potius, quàm auctoritatẽ eligo.

IN Caccochimia interdum detrahimus ſanguinem citra redundantiam, nõ habita caccochimiæ ratione, ſed ob aliam cauſam adjunctam. Object. 13

Quam ob cauſam? nimirum occulta eſt illi, aliis vero cognita eſt, quia Doctor [t] Thomas Rodericus à Veiga in loci illius expoſitione, cauſam tetigit aſſertioni Doctoris Apologetici omnino oppoſitam ſic dicentis. *Citra ſanguinis redundantiã non habita caccochimiæ ratione.* Veiga vero ſic contra. *Oſtenſum eſt enim, in Caccochimia cum præſentia copioſi ſanguinis vtiliter mitti poße ſanguinem.* Multa (Lector optime) omittam, longum enim eſſet, omnes errores perſtringere, quod vero híc animaduertendum cenſeo, quodq; quilibet vir ſtudioſus notabit, illud eſt [v] Furtum Carpentis Doctoris Paulum Peredam, attamen multa illius tranſcribentis. Vbi incipit; [x] *Pro cujus doctrinæ, & loci expoſitione circa litteram capitis tyronibus*, &c. Volens vero poſtea de methodo loqui, jurare auſim, ſe ipſum non intellexiſſe, ſit aliorum hoc vnicum exemplum.

t Rodericus Veiga in com. lib. 3. de locis affe, c.6.

v Per. lib. 2. c. de diaria, & ſyncho.

x Fol. pag. 2. lin. 18.

Qualitas (inquit) *eſt ipſa ſanguinis miſsio.*

Qualitas eſt ipſa ſanguinis miſsio?

[y] *Qui legitis flores, & humi naſcentia fragra.*

Frigidus, ò pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

y Maro Egloga 3. ad finem.

Quid tamen circa ſanguinis miſsionem proceres in noſtra arte ſcriptum reliquerint, vnico verbo ſtudioſus accipiat. Galenus enim inſtructus illo Hippocratis [z] oraculo dicentis. *Extremis morbis extrema*

z 1. Aph. 6.

trema remedia optima sunt. Pasim docet, vehementi, magnoque morbo (dissimulata in præsenti expurgatione) venæ sectio debetur, sic Galenus[a] dicebat. *Nullum illud docere volo, tum ipsam morbi siue vim, siue magnitudinem appellare velis, pro indicatrice quadam sanguinis detrahendi, &c.* Apertius vero sic scribens.[b] *Nunc vero summam ipsam, in paucos tandē relatam scopos audi. Sanguinē etenim primum detrahes, si magnus tibi videatur morbus, tali autem remedio vtitur propter vehementes affectus, quod à qualitate desumitur*, hactenus Galenus docens, *á qualitate sumi*, nō enim dicit, vt asseuerat Doctor. *Qualitas est ipsa sanguinis missio.* Forsan ignorat, quid sit sanguinis missio? Sed quæ qualitas Logica, Phisica, an Medica, nullam esse inuenio ego.

a 4. Meth. c. 6.

b 4. acut. cō. 19.

Object. 14 *OBIICIT Decimoquarto, Auicenam jam dicentē, in quacumque hora accidat (id est, dicit in quocumq; tempore) jam vero, horā apud Arabes tēpus significare.*

Restabat (amice Lector) vt intelligeres, ita in Arabum lectione, sicut in Grçcorum doctrina versatissimum se fuisse, ostenderet Doctor, & profesecto credidi, Auicenam objecturum fingit, vel ignorat, horam apud Auicenam tempus ægritudinis significare, ait enim Auicena de horis çgritudinum ex profecto loquens, caputque inscribens. *Scire debes,*[c] *quòd ægritudinum plurimæ, quatuor horas habent, horam principii, & horam augmenti, & horam status, & horam declinationis*, hçc Auicena. Qui idē, *si horam calidam dixit*. Vt doctissimus fuit, Interpresque Galeni, á me adductas tres acceptiones temporis, nomine, verboque temporis amplexus est Galenum imitando. Vnde in rigore, hora Auicenç agētis de curatione febris sanguinis, idem quod

c Fen. 2. 1. 6. c. 7

quod *Cairo* Græcis, Latinis tempus opportunum, nobis vero, Oportunidad, Occaſion, Auicenę denique Interpretum vox Græco ſermoni conuenit, ſicut res conſonat ipſa.

QVOD *Si reuulſionis gratia adhuc in principiis fluxionis fit ſanguinis miſsio, vt probat Augenius.* Object. 15

Nullum noui me magis auctores obſeruantem, ſuus cuique locus dandus eſt. Exiſtimo tamen Augenium [d] non ſecundum indicationum rigorem, de temporibus venæ ſectionis opportunis deliberaſſe. Ioubertumque, [e] quem Doctor citat falſò, multo aliter ſenſiſſe, ex ſequentibus credo, Nam *ob affectus expoſcentis abſentiam in incrementis non venas ſecandas aſſerit, ſed ob manifeſtam virium debilitatem*, ex quo colligo, multo minus in vigoribus, de clinationibuſque miſſurum Augenium, quibus addidit. *Eaq; ratione in morbi progreſſu, vix vllum phlebotomiæ locum relinquere videntur*, &c. Vnde ob vires id dixit, non vero ratione temporis opportuni. Augenio igitur, & omnibus non probantibus omiſsis, & Doctoris innumeris impertinentibus, repetitiſque, ad confirmationẽ veritatis pro venæ ſectione in incrementis accipiẽda, iterum redeo.

d *Aug. de ſang. miſsione.*

e *De iterãda venæ ſec. fol. 169*

Quod autem in ipſis morborum incremẽtis rationabiliter medendo, non modò frequenter, ſed vt plurimum ſint venæ ſecandæ (non autem ob amiſſam in principiis occaſionem, vt friuolè aſſeritur) libens iterum probabo. Nam cum ego (vt exiſtimo) primus in hac tempeſtate, ad typis mandanda, tuendaq; iſthæc non mea, ſed in Seniorum libris ſepulta documenta, ad paleſtram intrepidè exierim, jure teneor, animoq; proficiendi, & veritatis ſalutariſsimæ, vtiliſsimæque defendẽdæ, ad

Vrgentius probatur, venæ ſectionem in incremẽtis eſſe faciendam.

ſumq;

ſumque, vt quaſcumque incurſiones, conciliabulaq, oppoſitum ſentientium, ſcribentiumque (quo ad potero) viriliter ſuſtineam. Reuocando igitur in memoriam Galenum, Auicenamque, & alios

f
1. acut. 44. cõ.

optimos quoſque in arte Medica Magiſtros (Hippocrates [f] enim diuinus tam in phlebotomia, quã in aliis rebus ſemina jecit, in ænigmatibus docens) diſtinctè in morborum incrementis venas ſecuiſſe, eoſdemque proceres venæ ſectionem in ſtatu prohibuiſſe, ac ex neceſſaria conſecutione, in declinatione, & omnia probauiſſe, demonſtrationibuſque ad id adductis intellectum conuiciſſe. Supereſt modò, vt ſecunda veriſsima Aſſertio, alia quinta corroboretur, quæ talis eſt.

Concl. 5.

EX Natura rei, in incrementis morborum vehementium, ſeu magnorum, vt plurimum ſecanda eſt vena, ſicuti in ſecunda Aſſertione ſancitum eſt.

g
9. Meth.

Probatur primó, Auctorum ipſorum teſtimoniis, ex Galeno [g] eodem, in capiteque illo quinto, in quo ego inuenio duo tempora venæ ſectionis. Ait quippe Galenus ſic. *Quod ſi aliquando curare infirmum cogeris, cui non ſolum antea remedium ſecandæ venæ prætermiſſum fuit* (quibus verbis initium intellexit) *Sed nunc quoque vel per Medicorum ignorantiã, vel ipſius laborantis, propinquorumve ejus timiditatem procedente tempore* (his verbis incrementum apertiſsimè vult, [h] alibi enim dicebat. *Si vlterius procedat motus, crementum eſt*) *mittere ſanguinem prohiberis*, &c. Id ipſum innuit Galenus, [i] dum de vena ſecanda loquens, ait. *Quam ob rẽ auxiliis in vniuerſum opportuna tempora, & ex remedia poſtulantium abſentia deprehenduntur, hæc autem cauſæ ſunt, & ex potentis impedire abſentia, id vero eſt virium imbecillitas.*

h
Lib. ad Thraſyb. c. 37.

i
Lib. eod. c. 38.

Hacte-

Hactenus Galenus, non tempus, sed tempora signans. Quorsum enim non tēpus opportunum, sed opportuna dixisset?

Auicena [l] in locis decantatis sic comprobat, primò quidem, scribens. *Et scias, quod sanguinis missio, quando est intentio sanguinis, non est in genere ejus, in quo spectatur digestio, expectatione, quæ fit in solutiuis*, quid clarius. Secundò vero, sequentibus verbis (Gal. [m] nō suis. *Euacuatio nō est aliqua sicut phlebotomia ex manu, in quacumque hora accidat, & nō expectatur crisis, nec digestio, nisi sit repletio nauseatiua, tunc enim caue eam, & remoue ipsam*. Addiditque. *Quod si febris perseuerauerit, tunc phlebotoma, & non cesses phlebotomare*. Hæc ille, qui in principio venam secat, perseuerante vero febre (vt ad Galeni [m] mentem, procedente) illius enim vestigia insequens, in incremento morbi (sectis jam in principio, non ob amissam occasionem) venas secandas docet.

m 9. Meth. c. 5.

Ejusdem sententiæ videtur fuisse Aetius, [n] dum non accedendum ad frigidæ potum, ante perfectā coctionem suadet, scribens sic. *Tunc autem danda est frigida, cum in Vrinis videris coctionis signa, nec autem in principio, nec in augmento danda est frigida, sed in ipso vigore*. Hactenus Aetius.

n De febr. c. 77.

His adde (nisi displiceāt) Hippocratis, [o] & Galeni documenta talia, quorum ille sic scripsit. *Præterea si lateris dolor assidnus est, calidisq; fomentis nō remittitur*, &c. Galenus vero sic exponebat. *Vigentis autem inflāmationis notæ sunt, dolor assiduus, & quod nullo pacto á calidis fomētis remittitur*. Hęc Gal. tūcq; ego; si in vigore secuit Gal. à fortiori in incremēto secare oportet. vidēdus Hipp. & Gal.

o 1. acut. 33. tx. & com.

Hunc locum aliquis argutulus legens, non per-

F pen-

pendens, exclamaret, contradictionisquē me argueret, sicque respondeo, istam Galeni doctrinā, meam tertiam Assertionē labefactare nihil. Quāvis enim Hippocrates Galeno [p] teste, *de pleuritide, tanquam de exemplo agat*, attamen cum in his morbis non seruetur materia ad vnam criticam expulsionem, variatur & curatio, & instituēdi victus ratio, non sic in febribus: quam ob rem, ego tam in tractatus facie, quám in corpore. *Exercitationē versari præcipué circa febriles affectus, sæpe sum fassus.* Secundò dicendum, de augescente adhuc affectu, fluxioneque explicandos hos viros grauissimos, qui sensus, iis, quæ in Secundo [q] de victu acutorum leguntur, congruit; denique, si hos duces sequor, quid mirum? si Neotericis, quātumvis benè opinatis, valere jusśis, ad probationem ratione faciendā, indicationibus ex natura rei petitis gradum ducam.

[p] Lib. de vict. acut.

[q] Tx. 10. & 11

Argumentor primò, Sanguinis mis͡sio exposcitur in morborum principiis, ad inhibenda eorumdem augmenta; ergo magis in augmentis exposcitur: consequentia patet ex illo [r] Aristotelis principio, quo habet. *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis.* Antecedēs vero sic probo In febribus quidem, vbi hæc leguntur verba. *Iugulauimus* [s] *febrem.* ac si dixerint, febris incrementum inhibuimus, sicque communiter ab omnibus accipitur, in quæstione; Vtrum omnis morbus percurrat quatuor tempora? in inflāmationibus vero probatur ejusdem [t] Galeni euidentis͡simis testimoniis, primó quidem ait. *Ergo quæ causæ phlegmonem accersere videntur, has, cum in corpore jam sint conceptæ, sed tamen exiguæ, & adhuc incipientes, vtiq, ne majores fiant*

[r] Axioma Aristotel.

[s] 9. Meth. c. 4.

[t] 13. Meth. c. 2. & 4.

fiant, inhibere oportet. Inferiusque paulò. *Cum igitur* (inquit) *particula aliqua phlegmone vrgeri cœpit, vidē dum est, an propter calorem aliquem, qui in illa præter naturam sit ortus, an propter dolorem, vel ipsius, vel propinquæ alicujus partis hanc contraxerit, quò scilicet adempta causa, phlegmone non amplius increscat.* Hæc Galenus, post indicatam phlegmonis curationem præcautoriã misso sanguine. Et re vera, quantum agitur ex parte, rationeque expostulãtis scopi (vt rectè docemur de curatione contrariis æqualibus absoluenda) in morborum incrementis, copiosior esset imperanda venæ sectio, tantum abest, vt sit neganda ex cujusdam indicationem negantis placito, seu somnio.

Secundò arguitur. Sicuti potest in morborum principiis venæ sectio exerceri, sic potest, & debet in incremẽtis fieri, igitur assertio vera est. Antecedens probo sic. *Idem* [v] *eodẽ modo se habens, semper est natum postulare idẽ,* sed fluxio humorum quatenus fluxio, & eorum redundantia, quatenus redundãtia retractionem, & euacuationem semper postulant: ergo his præsentibus reuulsio, & euacuatio facienda est. Major est indicationum principium: minor vero innititur generalissimæ [x] contrariorum legi, (*morbos enim ex repletione euacuatio curat*) igitur consequentia est bona. Sed fluxio, redundantiaque humorum in febrium vehemẽtium incrementis, vt plurimum adsunt: ergo reulsio, & euacuatio in incremẽtis est facienda, sed reuulsio, & euacuatio fiunt sanguinis missione: igitur a primò ad vltimum in incrementis morborum, ex ipsius rei natura, tundẽda est vena, nõ vero ob amissam in principiis occasionem.

v *Axioma Medicum.*

x *2. Ap. 22.*

 Ter-

Tertiò. *Quod accedit ad maxime tale* (videlicet ad venæ sectionis occasionem) *est magis tale.* y Sed incrementum morbi magis accedit ad principium, quod est maximè tale, ergo incrementū est magis tale: Major est Aristotelis, minor est per se nota: igitur. Sed ex [z] omnium sententia, principium est maximè opportunum, igitur incrementum illi accedens, erit magis opportunum, quod sic colligēdum in illorum via, qui præter duo tempora, in aliis temporibus venæ sectionem admittunt.

z *6. Meth. c. 5. & vbique.*

Perpende igitur obiter (amice Lector) saltum, viri asserentis, *tempus sanguinis missionis esse morbi principium, liberaliusque permittentis illā, & citra cōtrouersiam in statu, & declinatione, quàm in proximo illi incremento.* Sed ad argumenta reuertar.

Quartò sic. Magno morbo existente, & humoribus in præsentia sanguinis cum virium robore detrahendus est sanguis, sed sic se res inuehementium morborum incrementis habet: ergo in eisdē, vt plurimum sanguis est detrahendus. Major est protritum principium [a] Medicum, & superius probatū. Minor patet ad sensum ex exeunte sanguine in scutellas, in quibus accipitur, seruaturque. Igitur in morborum incrementis, &c.

a *Ex 6. Epid. 3. 47. & fere Adagium.*

Quinto arguitur. Causæ nondum sic Commotæ, in initiis morborum jubemus venę sectionem, igitur motæ, & inquietem inducenti, á fortiori erit jubenda. Consequentia est bona, antecedens probo, quoniam ex raptu illius in partes principes mille inconuenientia secuntur. Sed sic se habent causæ in morborum incremento, ergo in eodem sanguis est detrahendus.

Sextò. Quidquid intemperātem humorem dif

cutit

cutit, coctioni mirum in modum conducit, sed sanguinis missio in principiis, incremētisque morborum adhibita debitè, humorē tollit, ergo coctioni confert. [b]Major est verissima, *nam ex calore præternaturam reddito coctio vitiatur* [c] *(omnis enim immodica intemperies actum cujuscumq; virtutis dejicit)* destructa vero intemperie, calore temperatiori reddito, suaui, atque halituoso fit [d] coctio, minor vero, quòd sanguinis missio in principiis, incremētisque morborum id præstet, euidētior est, quàm vt probationem postulet, igitur in incremētis, &c.

b 1.Prog.cō.vlt. 3.de facult.naturæ.

c 2.Aph.cō.20.

d 2.de vict.acu; com.22.

Septimò sic. *Medicus tenetur imitari naturā in iis, quæ rectè peragit*, sed passim natura morbos curat sanguinis profluuiis, in initiis, incrementisq; morborum, igitur imitator naturæ Medicus in incrementis tenetur imitari naturam. Major est Hippocratis [e] Aphorismus: minor probata est auctoritate, & ratione superius; igitur intentum.

e 1.Aph.21.

Objecti. 10

Octauo. *Humorum putredo, quæ in vasis fit, similis est ei, quæ in inflammationibus, atque abscessibus accidit*, igitur (sicut jam supradictum est) similis erit prouisoria curatio: consequentiam confirmat Praxis. Antecedēs est [f] Galeni, sed in inflāmationum incremētis detrahitur sanguis: ergo & in febriliū morborum incrementis vena est ferienda.

f 1.de diff.c.7.

Nonò arguitur. Si venæ sectio solis initiis esset suscipienda per se, & non in incrementis, semper, & in omni principio, & neutiquam in incremento faciendam docuisset Galenus; vtrumque tamē est falsum; *nam primo, & secundo die lapsis viribus, abstinendum ab ea docet*, idem tamen, *si ad sint scopi, in incremento jubet*, non igitur [g] ex initiis, nec morborum incrementis, venæ sectionis fides oritur, sed

g Lib.de sangui. mis.c.20.

 res

res tota ad scopos, his temporibus, affectibusque annexos reducenda est.

h Lib. eod. c. 13. Decimó sic. Hypothesi [h] Galeni (illius ingenii digna, fundamentoque venæ sectionis exercendæ) substracta, qua ait. *Primum omnium scire conuenit, dum propositi scopi hujus præsidii augentur, majorem indicare venæ sectionem, dum vero exoluuntur, tãtum detrahendum de sanguinis missione, quanto illi minores euaserint.* Hactenus Galenus. Sed augetur in principio scopus vterque) probatis jam fluxione, copiaque, & constantibus viribus) at vero in incrementis morborum, copia imminuitur, vires exoluuntur, ergo præcipué in principiis morborum, parcius vero in illorum vigoribus vt plurimum, ex rei natura secanda est vena, vt prima, & secunda Assertiones meæ, nouę, & veteres, præ se ferũt.

i 1. cris. c. 7. Vndecimò arguitur. Ex exposito [i] Galeni loco dicentis. *Quocumque die mittendi sanguinis scopos in laborãte inueneris, in eo auxilium illud adhibito.* Sed reperiuntur in incrementis, igitur in illis est adhibenda: Major est Galeni, minor etiam, & ex abundantia à me cõfirmata. Ergo ex rei natura in morborum incrementis, &c.

Duodecimò, & vltimò. Si ob aliquam rationẽ non esset sanguis detrahendus in morborum incrementis, ea esset, ne coctiones inchoatæ impedirentur, sed hæc est nulla: igitur. Major est aduersæ factionis Achilles, falsam supra ostendimus, & modó redarguitur; eadẽ enim ratione, nec in principiis morborum venæ sectio esset jubenda, nam in illis esse debilia signa coctionis hisce verbis Galenus [l] docuit. *Sic autem appello ea, quæ inter debilia sunt, & perfectæ coctionis signa.* Hæc ille loquens de signis

ſignis manifeſtæ coctionis. Sed hoc eſt abſurdum; ergo & illud, apertè enim vigorem (*quo tẽpore maximè* [m] *coctiones fiunt, aliaque contra indicantia concurrunt*) *remedia magna Galenus interdicit*, atque ſanguinis miſsionem in primis duobus temporibus nos docet.

m 2. Aph. 29. ſæpius citato.

Aduerte igitur hic (amice Lector) hæc omnia media præadducta, rationes, artiſque Medicæ dignitates, ex quibus venæ ſectionem in incrementis morborum faciendam conuincimus, omnia hæc eadem eſſe, militareq; in defendentes ſanguinem in vigoribus morborum, declinationibuſque mittendum fore. Quoniam in iſtis ſufficientes ſcopi deſiderantur.

Nunc vero, *quoniam non ſatis eſt, teſte* [n] *Galeno vniuerſalia nouiſſe, niſi etiam in particularibus Lectorẽ excerceam*, tradditæ jam methodo, rationique vniverſali (quæ eſt vnum Medici crus) alterum (quæ eſt experientia) adjungam, Praximque, qua omnes Medicinam facientes, Auctoreſque vtuntur, aliqualiter attingam.

n 6. Meth. c. 4.

Primum quidẽ, [o] Medicus accedat ad curationem illorum morborum, qui ex mixtione humorum committuntur (ſunt autem frequentiſsimi, ſi non omnes) in quibus manê apparet ſedimentum laudabile, nec ſic perſtat, ſed veſperi deliteſcit, ſub rubrumque apparet, aut è contra (ſicut in caccochimia, craſsiſq; humoribus partitè expurgãdum eſſe, antea ſancitum [p] eſt) ſic ſimiliter in calidis, feruentioribuſque ſuccis, morbiſque partitè ſanguis, atq; in incremẽtis educẽdus neceſſariò venit.

o 2. Prog. co. 26. 1. com. 8. ægroto. 6.

p In excercitatione vltima.

Secundò. Conſulendi valentiſsimi viri, tam antiqui, quám Neoterici, pro pleuritidis (morbi videlicet

delicet, vbique gentium frequentiſsimi) medella, Auicenam [q] Arabum ſcholæ principem ſecuntur, ii enim in morbi principiis ex remotis, poſteá ex dolentis partis oppoſito brachio ſanguinem demunt, cæleberrimi illi Medici in incrementis venam non ſecabunt? ridere licet, & atteſtari profectò, in incrementis crediderim miſſuros ſæpius, atque vſque ad coloris mutationem ex [r] Hippocratis, Galenique mente, ſed quid in incrementis iſti boni agent in Arabum, vel Græcorum via? tunc prognoſticis ęgrum relinquent, pallinodiam ſcholaſticorum gratia recantent moneo, quid fecerint, facturique ſint, proximorum charitate, videant, ſi minus conſcientiam, Deumque timeant.

q *Avic. de pleuritide.*

r *2. acut. 10. tx. & com.*

Tertiò. Sępe ſæpius non poteſt, nec debet Medicus in morborum principiis venam ſecare, non ob amiſſam principii potiorem occaſionem, ſed ob ea, quæ doctiſsimus [ſ] Mena ſic ſcribit. *Nam quod temporis duratione corrumpatur corpus, dißipetur virium proxima materia, fatemur ingenue, non proinde negabit quiſpiam, humorem pituitoſum tempore in ſanguinem migrare, calore febrili ipſum calfaciente, atque coquente., ſubindeq; morbi ſucceßione opportunè admodum demi ſanguinem, quem á principio educere, forſan non decuiſſet.* Hæc Mena.

ſ *Lib. de venæ ſectione, c. 20.*

Quartò. Morbi maligni, peſtilenteſq; ſunt multi, qui coctione non qualeſcumque Medicos decipiunt, quorum vrinis fidē non adhibendam (quamvis perfectiſsimam coctionem oſtentent) vniuerſa [t] practicorum cohors proclamat, atque præſente coctione, cum ſcopis, ab omnibus ſanguis emittitur. Et antiquitatē, venas ſecuiſſe jā diu probaui.

t *Præceptum cōmune.*

Quintò. In multis febribus, exempli gratia, tertianis,

tianis; Galenus docet, [v] *in illarum principiis bonam Vrinã apparere*, quam ex hac coctione vtilitatem boni viri assecuntur? Si quotidie in illis sanguinem detrahunt?

Sextó. In prędicta pleuritide, [x] quam vehemẽtior comitatur febris Galeni sententia, potest contingere (nec hæc dicitur morborum complicatio) vt sputum appareat coctum, vrina vero cruda, aut vice versa, sicque præsente copia, coctione contempta, scopis deniq; intendentes (hoc enim semper supponendum est) etiam in incrementis venas secamus.

x *Vbique Gal.*

Septimó. Inter curãdum passim occurrunt fœmina, cui opportunè, [y] sufficienterque in principio sanguinem detraxeris, similiter & vir, & cum signis coctionis manifestæ videlicet vtrique, huic incipiat fluxus hæmorhoidarum, fœminæ vero menstruorum, diminutus tamen ambobus. Nonne illis venas secabunt? alias errare, necesse est.

y *9. Meth. c. 5.*

Octauo. Incipiat aliquis ęgrotare morbo vehementi, cum crudis humoribus [z] in prima corporis regione, Doctus Medicus opẽ feret primo cruditatibus rationẽ causæ, sine qua nõ obtinẽtibus, idq; tempore idoneo huic muneri statuto, atque dum hæc aguntur, coctionis signa appareant, huic nonne est necessaria venæ sectio, etiã si in incremento sit? non enim fiderem ego tali sententiæ.

z *1. ad Glauc. c. 14.*

Decimò. [a] Incipiat febris aliqua cum vrinis coctis (hoc enim ab omnibus Medicis accipitur, & videtur, estq; cõmunissimum) quid in his casibus faciunt præsente sanguine? (vt frequẽter accidit in initiis) & præsentibus venæ sectionis aliis scopis.

a *1. de feb. differ.*

Vndecimò. In illa sanguinis missione, qua ho-

 dic

die vtimur, hanc enim per epicrasim appellare licet (fit enim vt plurimum sic) necessarió procedẽ te tempore, & cum manifestæ coctionis signis, vena est secanda, de quibus paruis venæ sectionibus optimê b Hieremias dicebat. *Partitæ istæ quatuor, aut quinque vnciarum venæ sectiones, potius Medicum à calumnia, quàm ægrum à morte liberant.*

b Triuirius.

c 2. Aph. 59. tx. & com.

Duodecimò. Nonne attendunt illud admirandi c Hippocratis oraculum, quo ait. *Omnia secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud, stãte eo quod á principio visum est.* d Quod Galenus sic explanabat. *Cum hoc, quod, & cognoscere datur, quam ægrè affectiones aliquæ medellis cedant, in quibus rationabiliter, secundum indicationem remediis vtimur, etiam si nihil in principio efficere appareant*, principiũ attẽdẽdum. Hæc Gal. nõ respiciẽs principium ex Hippocrate.

d 2. secund. loc. c. 2.

e 9. Meth. c. 4.

Decimotertiò, & vltimo. Nec hi sanguinem detrahent febribus continentibus (de quibus est controuersia) quibus e Galenus ipse vsque ad animi deliquium, & facit, & faciendum suadet coctis vrinis, in his enim, vt videre licet, sic ait. *Quoniam autem nec in hoc* (videlicet pulsu) *nec in lotio, nec in ipsa caloris qualitate indicium aliquod putrescentium humorum*, &c. Hactenus Galenus, egoque potius veritatis augendæ gratia, quàm vt importunis, stupidisque responderem, sicque ad doctisimos conuertendus stylus est.

¶ RESPONSIO AD NONNVLLAS OBjectiones, argumentaque Doctisimi Licentiati Andreæ Florindo.

(.·.)

Multi

MVLTI Viri graues hujus vrbis, exterique tertiam de statuque morbi, meam decisionẽ oppugnare conati sunt, quorum quilibet suum medium, rationem, argumentaque in illam objecit, quæ omnia (quidquid verbosi dixerint) eleganter, copiosèque tetigit eruditissimus Licentiatus *ANDREAS* Florindo amicissima ad me epistola missa, quam prædicti viri summè omnes approbant; nec ego inficias eo, attamen quamuis virtute, in primis objectionum responsionibus, illius etiam objectionibus. (Paucis demptis) satisfactum credam, viro vigilantissimo, atque palestræ litterariæ amico, animi exercendi gratia amicè, prouocatus resistam, nemo enim adeò erit ferus, qui tutellam moderatam inculpet, quod anteaquã præstare incipiam, præsuppono, doctissimum, ingeniosissimumque virum, amicorumque maximum eundẽ Licentiatum *ANDREAM* acutissimum, tanto magis nouam doctrinam, ac per consequens nouitatem amplexum fuisse, quanto Hippocrates, Galenus, reliquiq; Auctores Antiqui, & Classici, ipso Vallesio, Augenio, aliisque Arabum Interpretibus vetustiores fuere. Ait igitur doctissimus vir pro suę sentẽtię corroboratione in rationes meas.

Sed per te materiæ coctæ, atq; euictæ statim debetur purgatio. Ergo, &c.

Vbi, nã inuenit amicus illud, *statim?* non enim á me scriptũ est, sed sciẽter *ex natura rei id indicari dixi*, nequaquã statim faciendã, sed nõ vidit doctissimus Licẽtiatus ex Gal. sentẽtia cuiuis esse peruiũ, *Neutrũ magnorũ remediorũ in statu morbi adhibẽdum?* quod profectò non aduerterem, nisi sæpius repetitum, & à me scriptum fuisset; neque vero ob id,

f 8. *Aph.* 22. quod docuerit [f] Hippocrates, *cocta medicari*, colligi potest: igitur in statu, idem enim magnus vir, qui nec fallit, nec fallitur, postea docuit. *Cum vero cõsistunt, ac* [g] *vigẽt, quietẽ habere melius est*, vtrumq; remedium exponente Galeno.

g 2. *Aph.* 29. *Itaq; prius (ait) debemus concoquere materiam febrilem, ad cujus præuiam dispositionem pertinet, in principio minorare, ne natura oppressa succumbat.*

Quid est hoc, quod proponit ænigma? Profectó intelligere haud quaquam possum, sicque inquiro. Si prius debemus concoquere materiam febrilem, quomodo oportet in principio minorare? quid est hìc primum faciendum, minorare? an cõcoquere? Si enim primum, intẽtum habeo; secundum vero non probatur, ex his tamen duorum alterum necessariò concludendum, vel aliud tempus principio esse prius, vel duplex principium esse, nisi recurrendum ad Arabum principium principians, quod (meo judicio) ridiculum est, aut vox sine re.

Sit (addit) locus Galeni pro omnibus vnicus lib. artis Med. c. 88. Indicatio in febre putrida, euacuatio, atque alteratio, hæc quidem, quæ putredinem finiat, manente substantia: euacuatio vero, quæ totam è corpore substantiam educat, &c.

Intellectus hujus loci à viro tum Latinissimo, tum Philosopho, Medicoq; maximo omnino est alienus. Et quamuis Galenus id apertè dixisset, tenebatur illum expurgare, vt passim Expositores artis paruæ præstant excusantes loci angustiam tãtę arti cingendæ, in epitomenque reducẽdæ, adeò opposita doctrina stabilita, sancita, acceptaq; est, seruata rigidæ coctionis voce.

Sicque

Sicque Galenus ipse dicebat, *atq; eorum omnium inuentio tradditur in eo volumine, quod de arte, seu methodo curatiua inscribitur.* Hæc Galenus, abundantiamque semper primó euacuãdam docens.

Nec valet dicere, in humore præter naturam, indicationem esse euacuationem.

Non enim agimus de humore omnino præter naturã, imò potius de febre sanguinis, in qua peccatum potius ad quantum, quàm ad quale spectat, quod autem, [h] *quando vtroque auxilio est opus, á venæ sectione sit inchoandum*, ignorare nullo modo; dissimulare forte, aut obliuioni mandasse, contigit, purgatio vero frequentius coctionem supponit.

h 6. Epid. 1. enar rat. 6. & 4. ac cut. tx. 20.

Multò minus exemplum corporum, quæ non viuunt, ac putrescunt, in quibus totum abscindendum est.

Siquidem, præter id, quod vbi est excellens putredo, vt in pestilentibus (quãdo mittitur sanguis) primò mittendus est, qualiter vero in continentibus nos gerere debeamus, hisce verbis dicit Galenus. [i] *Nunc cum in viuente corpore putredo concipitur, quod tum alterare potest, tum cõcoquere, tum vtile reddere, &c.* Denique ne in paradoxis tẽpus absumatur, ex tali placito omnium auctorum methodus subuertitur statuens in febribus suo ordine primas tollendas causas, vt longè, latèque in Galeno videre est. Postquam vero ad humorum putredinẽ deuentum est, suas apertè indicationes asignat, sic scribens. *At in humorum putredine, & excretio, & refrigeratio, & ventilatio, & semiputridorum concoctio ex aduerso respondent.* Hæc Galenus, cujus oppositum me hactenus legisse, non memini. Quod si doctissimus amicus probauerit (qualem estimari oportet) erit mihi Appolline major.

i 11. Meth. c. 9.

LIS est (scribit) inter auctores, quomodo prætermisit expurgationem.

Salua tanti amici pace, quæstio isthęc ommittēda erat, hic enim nostra Lis est de his febribus, [l]
l 9.Meth.c.4. quorum maxima remedia sunt (eruntque) sanguinis misio, & gelida potio. Secundò, non video, *cur febribus continuis suspecta sit expurgatio.* Primò quidem, quod suis temporibus fœliciter exerceatur, quo spectat Hippocratis [m] cæleberrimum, si
m Lib.de expurg. Med. quod aliud præceptum jubentis, *Pharmaco non vtēdum donec remiserint febres, vel decima quarta dies transacta fuerit.* Secundò, aduertere debuit amicissimus, medicamenta lenientia nostræ ætatis. Tertiò, quód cū febris asidua morbus sit venosi generis, & expurgatio remedium venarum, omnis suspicio abesse debet.

Quartò. Quid dicent Auctores, Præceptoresq; methodi in malignis febribus, qui nunquam non in illis expurgatione vtuntur? & vix vllum aliud remedium in illis inuenere.

Post concoquentia, euacuantia optimè confirmat Aetius, C. de sanguinis misione secutus vniuersalē doctrinam Hippocratis, 1. Aph. sentent. 20.

Imprimis illa verba, *in statu morbi*, in meo, seu Aetii Codice nodum inueni. Secundò, Miror tam veteranum militem non aduertisse, Aetium hanc Gal. [n] auctoritatē transcripsisse lippis, atq; tonso-
n 9.Meth.c.5. ribus notam, vbi habet. *Itaque, si tempore mittendi sanguinis menses moueri contigerit, &c.* Ex qua sanguinē in principiis, & in incremētis detrahendum esse (id est, in opportuno tēpore mittendi sanguinis Gręcis Cairo) ego facillimè elicui, quod optimus Gal. discipulus Aetius haud quaquā diffitetur.

Valle-

Vallesius (*ait*) *in quarto acutorum pro cura legitima ardentis mittit sanguinem parcè in principio, copiosè in fine, si non piget legere.*

Amicum jurasse in verba Magistri, ex hoc loco magis, quàm ex tota Epistola constat, quam cauté subticuisse deceret, nullus enim doctus vir illum expurgare poterit, est enim non solum aduersus omnes Medicos, Medicinamqne, sed sensus ipse illã detrectat. Et re vera Vallesium doctissimum mihi refutanti; Vallesii auctoritatem, nullam vero rationem nedum probabilem adducere, nec sophisticã, penuriæ veritatis in re cõtrouersa Vallesiiq; studiosissimo viro argumentum est euidens.

Si ex hoc (*inquit*) *quod euacuationes symptomathicæ aliquando prosunt, vtimur in principio purgantibus medicamentis, vt fere omnis Medicorum schola probat.*

Cum amico Hippocrate credat, coctis (aliàs turgentibus humoribus, in quibus quia non quiescunt, non expectanda est coctio) purgantia præcipiat, *in istis enim adminiculantem naturã habemus*, teste [o] Galeno. *Qua repugnante omnia irrita fiunt.* Hippocrate [p] Doctore, quod si fecerit doctissimus vir, cautius expurgatione vtetur.

o In tris.9. & frequẽter vbiq;

p

Coctio (scribit) *quidem, quæ procedit in humore, qui corregi potest, &c.*

Si (vt credo) judicat obiter, solos humores benignos concoqui posse, dissentit tum à [q] Ludouico Collado dicente. *Coctio internam causam præternaturam, aut naturæ vtilem, aut fluxilem, excretioniq; aptam reddit.* Hæc ille. Vnde doctissimus illius discipulus, à me semper extollendus, præceptorem secutus ait. [r] *Dices in hoc morbo, cum humor sit venenatus, nunquam alterabitur á natura.* Responderque.

q Isac.c.15.

r Lib.1 schol. c. de feb.pestil.

Vere

Verè non concoqui ad nutritionē, sed vt ad excretionē aptus reddatur. Attamē discipuli hujus affectissimi ambo Gal. Præceptorē habuere eundē dicentē.

f
12. Meth. c. 3. [f] *Est autem cōmuis omnium, quæ præternaturā sunt, definitio, si postea quā cocta sint, alere nequeāt.* Hæc Gal.

Et quando (ait) morbus summè coctus est, jam ad sanitatem perductus est.

Igitur in statu æger ad sanitatem perductus est. Sequella patet, quoniā in statu morbus summé coctus est: igitur sanus, & ægrotus simul; hæc vero esse incompatibilia, magis patet, re tamen melius perpensa, inter hæc magnum est chaos, longiusq; interuallū. Docuit illud, sicut reliqua omnia Gal.

t
2. acut. 44. co. [t] quadruplicem nobis dispositionēcorporis his verbis relinquēs. *Nempe cum vna corporis dispositio sana sit, altera quæ à morbi initio ad statum vsq; extenditur, mox, & tertia, quæ ad perfectā vsq; morbi solutionē sese prorrogat, deinde & quarta, quæ totius tēpus conualescentiæ, ad vsq; sanitatis habitum occupat.* Hæc Gal. quæ si vera sint, dissonū erit. In Philosopho, disputatoreque á teneris annis maximo asserere de vno extremo in aliud, nisi per sua media, trāsitum esse.

Nā in Omotona (ait) quæ incipit ab vrina cocta, &c.

Incipere ab vrina cocta, implicat; si vera docet

v
Galenus, [v] & à tempore insensibili ad sensibile arguere, fallax est apud Dialecticos.

Lib. de totius morb. tēp. c. 4.

Sed nec Auctorum, neq; Regularum auctoritati detrahunt idoneæ exceptiones.

Cogitatio isthæc [x] Vallesii fuit elegātissimi, cur amicus dissimulat, an quia ferê omnia, quæ in me adducit, Vallesius docuit? quidquid tamen sit, ad pensumq; conuersus ex Vallesii ipsius assumpto, liceat mihi sic argumentari, vt dicitur adversus hominem;

x
4. Meth. c. 2.

minem. *Idoneæ exceptiones nec Regularum, nec Auctorum auctoritati detrahunt.* Igitur adductæ expositiones in meas conclusiones, nec mihi, nec illarũ auctoritati detrahunt. Frustra se macerant sociorum aliqui, gratiam habeant.

Quid est in arte perpetuum, quid est, quod aliter fieri non posit?

Hic conceptus doctissimi Vallesii est, ac proinde ipsi potius interroganti respondendum, & forsitan ex ipsissimo Vallesio postea, modó vero, dicat Brasauolus ex Hippocratis mente. [y] *Multa sunt* (inquit) *in omni arte officia, & multi canones, qui pœnitus obseruari debent, & præsertim in re Medica, hoc ab Hippocrate notatur hic, illa quæ in hac arte desiderant. Citó perficiantur, citò perficienda esse, aliter occasio, quæ præceps est, amittitur, & amplius resumi nõ possunt.* Hactenus Musa. judicet suã sententã idẽmet, doctissimus Vallesius, qui de scopis mittendi sanguinis agens, sic scribit. [z] *Quia quanquã morbi magnitudo cum virium robore ex acccidenti indicat, tamen indicat perpetuó, nunquam enim mittimus sanguinem, quin hæc adsint, nec aliquando adsunt, quin debeat mitti, & quod ad artem Medicam* (addit) *attinet, quod perpetuò indicat, perinde est, ac si per se indicaret.* Hactenus Vallesius, perpetuum aliquid agnoscẽs, & quid, quod aliter fieri non posit, fositan sui ipsius oblitus. Quę verba illa [a] Galeni redolent dicentis. *Quibus ambobus scopis prosentibus constat (vt ante diximus) nullam esse succorum crudorum tãtam, talemq; plenitudinem, quæ hoc auxilium inhibere posit.*

y 1.acut. sect. 8.

z 7. cõtra. c. 2.

a Lib. de sangui. miss. c. 13.

Facultas vero languida (ait) non vitalis, nec naturalis dictum est antea.

Siue scribere, legere, docereve contingat, ver-

H bis

bis probatio fidem faciat, licèt quandoque propriã ſententiam ferre; ſi vero Auctor exponitur, quoad fieri poteſt, ad ejuſdem mentem expoſitio accedat, ob id Galenus talis fuit, nullique ſecundus in Hippocrate explanando, quorum veſtigiis (ſi ſimiles eſſe volumus) ſtãdum. ad penſum tamen, iſthæc vox facultas, ſiue potentia, aut vis, vetuſtior eſt, & [b] Hippocrati Coeua dicenti. *Vis vna, & non vna.* In cujus expoſitione, Senioris ſe [c] Galeni, Valleſius meminit, dicens. *Siue autem numero ſingulari Potentiam dixerimus, ſiue plurali Potẽtias, nihil refert, & hoc ipſum in libro de alimento Hippocrates dixit: Potentia vna, & non vna, genere quidem oſtendens, potentiam eſſe vnam, ſpecies autem plures.* Hæc Valleſius ex Galeno, qui libro de optima ſecta omnem Facultatem languidam eſſe vult (*Omnis enim æger debilior eſt ſe ſano,* [d] Auicenæ teſtimonio) at vero in Aphoriſmi expoſitione diſtinctè locutus eſt Galenus, qui maximè ſui affectum Expoſitorẽ exigit.

b Gal. 2. Aph. 16. com.

c Lib. de alimen. tx. 37.

d 4. trac. 2. c. 7

Frequentes (ſcribit) Hæmorrhagiæ, ſemper in ſalutem finientes, &c.

Suſpecta iſthæc Aſſertio eſt mihi, & aliis, vt credo, profluuia enim ſanguinis non rarò ægrotos è medio tollunt, ſicque ego hactenus obſeruaui.

Taderem (inquit) Iſaac, & Barbarum Azarabium negantes in continentibus venæ ſectionem, &c.

Iudeos Medicos, imò maximos eſſe Medicos, & multis aliis præferendos legi, [e] ſunt etiam Arabes non contemnendi, atque ex his bonam Epiſtolæ partem amicus deſumpſit, ſcire tamen exopto, præter Iudeum Iſaac, & Barbarum Azarabium, multi alii, qui curantes regulariter, ſolùm in principio euacuantes venæ ſectione (inter quos eſt doctiſsi-

e Ripa lib. de peste.

ctissimus Vallesius, & ab eisdem non à Galeno de sumpsit) quo titulo sunt appellandi?

Videas nunc (inquit) optime Doctor, quantum hæc Galeni á tua majori distent.

Profectò, si optimus Licentiatus cęleberrimam Galeni auctoritatem inspexisset; hoc subticuisset, ait igitur in hæc verba [f] Galenus. *Leuata nãque, quæ nostrum corpus regit natura, exornataque ab ea, qua veluti sarcina premebatur, haud ægrè quod reliquum est, vincet: itaque proprii muneris haud oblita, & coquet, quod concoqui est habile, & excernet, quod non potest excerni.* Videat nunc Licentiatus amicus, an fiat euacuatio ad hoc, vt natura expellat?

f 11. Meth. c. 15

Quod si replicet, illam expulsionem fieri post concoctionem, sicque Galenum intelligendum.

Respondeo, nõ minus mitti sanguinem in principiis, vt natura expellat, quã vt coquat, sed quid moror in hoc? Nõne hoc patet in illa venæ sectione, quę fit vsque ad animi deliquium, ab ipso repetita, & intrepidè jussa, [g] *in qua statim aluus soluitur, sudor emanat*, &c. Et alibi frequenter.

g 6. Meth. c. 4.

Tandemq; inquit, de Medico ignorante motum naturæ, simulq; nesciente, quibus modis se ipsa exoneret.

Tempus jam admonet, vt receptui canam, non enim omnia attingenda sunt, huic objectioni respondeat [h] grauis admodum quidam vir ex professo de his agens. *Natura insuper noxiorum humorum coctioni fortiter vacet, ita vt paulò post ipsos sit euictura, superuacaneum plane, ac periculosum fuerit, euacuationem aliquam, præsertim fortẽ, tunc tentare, quandoquidem præter id, quod natura humorum coctioni intenta ab opere suo distrahitur, magnumq; ipsi impedimẽtum sit, etiam viam, perquam factura est crisim, non facile*

h Petrus Mercnda de euacuandi ratione, fol. 130. pag. 1.

cile est, dignoscere. Quantum vero Medico rationali verendum sit, contrarium rectè operanti naturæ motum moliri, adeò est notũ. (addit) *Vt nemini nisi Medicinæ ignaro in dubium verti posse, existimẽ.* Hactenus ille, quomodò igitur amicus isthęc esse præuia sentit?

Pro colophone tandẽ (quoniã plurimorum est objectio) in vigore obiter non esse detrahendum sanguinem, probo. Primò ex Galeni cæleberrimo capite, vbi auctoritatem Hippocratis, [i] rationesq; proposuit, sicq; arguit. *Quod si in morborum impetu auxiliorum tẽpora non adsunt, & adhuc nõ præsentibus morbis auxiliorum tempora sunt, jam patet non sola cogitatione, sed re ipsa ejusmodi tempora differre.* Hæc Galenus: Vbi dictio, *Si*, conjungit proximis præcedentia, conjunctionis denique vim obtinet, sed Medicis mediis reprobetur.

i *Lib. de optima sect. ad Trasy. c. 17.*

1. sic: In illo tẽpore nõ est jubẽda sanguinis missio, quãdo morbꝰ est minus periculosus (periculũ magnitudini in his sermonibus coincidere, à me jã probatũ [l] habes) sed in morborũ salutariũ vigoribus morbus est melior, aut minus periculosus: igitur in vigoribus non est detrahendus sanguis. Major est indicationũ Maxima (extremis enim [m] morbis extrema remedia) minorem vero, data opera in commentario docuit Galenus [n] sic. *Dispositio siquidem, ex qua hi generantur, quam & morbum nominamus, non omnino dum morbus consistit, est fortior, sed in iis, qui saluari debent, melior multò quam in morbi principio,* sed est securior, non igitur vehementissimo remedio indiget.

l *Exercitat. 8. de assiduitate feb. pest.*

m *1. Aph. 6.*

n *2. Aph. cõ. 29*

Secundó. In memoriam reuocando nostrę tertiæ Assertioni vim additam ex sanguinis missionis definitione, nunc ex nomine, videlicet, quod re

(vt

(vt decet) inſpecta, illa ſanguinis miſsio, quæ fit in morborum ipſorum vigoribus, impropriè ſanguinis miſsio appellabitur, ſed bilis flauę, aut atræ miſſio, quarum redundantiæ, & jam ſeparati, ſequeſtratique humores innumera expurgantia ſuis temporibus accipienda exigunt. Quod vero putrefactus ſanguis in prædicta degeneret, probatione non indiget.

Tertiò ſic. Adempto fine, ceſſant media ad illum conſequēdum deſtinata, ſed taliter accidit circa venæ ſectionem in morborum vigore, ergo & media debent ceſſare ad finem venæ ſectionis: major eſt euidēs, ° *Finis ſiquidem eſt, cujus gratia omnia fiunt.* Minor etiam, quia vt natura concoquat, exoneratur venæ ſectione, ſed perfectè eſt cocta materia in ſtatu, ergo in illo haud quaquam ſanguis eſt detrahendus. Falſo igitur aſſeritur, & proteruè defenditur in vigoribus morborum venæ ſectionem exercendam. ō *Axioma Ariſtotel.*

Quòd ſi curioſus aliquis vir dicat, adhuc morbus magnitudinem in vigore habet, & cum aliquali virium robore, igitur eo tempore ſanguis eſt mittendus.

Huic dicendum (vt ſupra) extremis morbis extrema conuenire remedia, quæ duo ſnnt, ſanguinis miſsio, & expurgatio, vtrumque in ſtatu rejicitur; Cum hoc tamen ſtat, quòd in prædicto tēpore ex rei natura, in declinatione (niſi criſis anticipauerit) expurgatio facienda indicatur, neutiquam vero venæ ſectio.

G 3

FINIS.

HEXASTICHON

BERNARDI DE LVna Franco, Rethoricæ, & bonarum litterarum ſtudioſi, ad parentis ſui Appendicem.

COmmendant alii libros perſcripta Poëtæ:
Atq; immortali carmine facta canunt,
Non ego te paucis tantum laudauero verbis,
Es igitur cultus, pluribus atq; places:
Hinc igitur liber laudatus abire licebit,
Vina probat ramus, non meliora facit.

LAVS

D. Op. Maximo, ſemperq; Virgini Genitrici Mariæ, necnon ſanctiſsimis, eloquentiſsimiſq; Diuis Hieronymo, & Bernardo Patronis, & omnibus Sanctis.